Vighellius *in method. juris can. l. 2. c. 13. reg. 3.* Mornacius *in leg. in lege 40. ff. ad leg. Aquil.* Cujacius, & Melchior Kling *in c. accedens, hoc tit.* Myfing. *in hoc c. quoniam*, Molina *de primog. l. 1. c. 28.* Cujacius *in leg. penult. Cod. de testib.* Escobar *de purit. sanguin. c. 14. q. 1.* Salgado *de retent. Bullar. l. 2. c. 20. n. 33.* P. Gregorius *de rescript. l. 1. cap. 37. & l. 48. syntagm. c. 5.* Altesserra *hic*,

3 Traditur dubitandi ratio.

Sed in hanc assertionem insurgi potest ex ipsa etymologia litis contestationis, quam tradit Festus Pompejus verbo *Contestari*, in his verbis: *Contestari est, cum utrique dicit, Testes estote.* Quam & nos probavimus supra præcedentis tituli commentario. Igitur si litis contestatio dicitur ab ipsa vocatione, seu evocatione testium, ea adhuc non contestata examinantur, siquidem ab eis nomen accipit, & per consequens lite non contestata testes recipi valent. Augetur hæc dubitandi ratio ex dispositione legis Papiæ Popeæ, qua cautum fuit, ut in causis criminalibus, prius quam causa ageretur, per triduum testes accerserentur, eorumque depositiones a judicibus obsignarentur, & quarto die omnes cum actore, & reo ad judicium venirent. Asconius *in Milonianam*, ex quo refert Gothofredus *in l. ordo 8. ff. de public. judic.* Igitur quia lite nondum contestata testes recipi possunt. Accedit etiam, nam si reus citatus non compareat, non solum testes recipiuntur, & actor ad probandum admittitur, verum & causa definitive terminatur, *l. unic. tit. 9. l. 3. ordin.* probat Matienzo *in dial. relat. c. 44. n. 8.* Ergo lite non contestata & testes recipi, & sententia proferri possunt.

4 Traditur ratio decidendi.

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsens juris regula, videlicet lite non contestata, nec testes recipi, nec sententiam proferri posse: quæ regula licet non ita diserte reperiatur expressa in jure Cæsareo, magnopere tamen ejus principiis convenit; Probatur ex præsenti rubrica, quæ cum perfectam orationem complectatur, jus facit, & in causarum decisione pro lege allegari valet, ut de similibus, & illis quæ incipiunt adjectione *ne*, docent Osualdus *ad Donellum l. 26. com. c. 2. littera A*, Gothofredus *in l. 1. ff. de rebus creditis, litt. E*, Altamir. *in rubric. C. de filiis offic. c. 1. n. 6.* Olea *de cess. jur. tit. 1. qu. 1. nu. 5.* Cujus regulæ ratio perspicua est, quia tam testium examen, quam sententiæ prolatio, litis finiendæ causa fit, ideo prius litem esse oportet, quam testes recipiantur, aut sententia proferatur, argumento textus *in l. non videntur 83. l. non potest 208. de R. J.* atqui constat, antequam coram judice partes compareant, non dari litis contestationem, ut superiori commentario probavi. Igitur ante litis contestationem, nec testes recipi, nec sententia proferri possunt. Testium enim depositiones dicuntur litis testimonia, *l. 4. ff. de testibus*; testimonia judicialia, *l. penult. C. de heredit. petit.* Igitur regulariter testes non recipiuntur, nisi jam sit lis, vel judicium, ut ratiocinatur Cujacius *in l. penult. Cod. de judic.*

5 Traduntur exceptiones prædictæ regulæ.

Præmissæ regulæ sex subjiciuntur exceptiones ab Innocentio *in hoc cap. quoniam, cum duobus prioribus §§.* Prima proponitur cum causa civiliter intenditur, sed verosimiliter timetur mors testium; quia valetudinarii, aut ægroti sunt: cui adjungendi sunt aliqui casus, videlicet si diuturna, & longæva absentia speratur, aut oblivio timetur, unde postea deponere non valeant: quæ causæ probantur jure nostro *ex cap. cum olim 3. cap. significavit 41. c. Albericus 43. de testibus*, licet nonnullas inter utramque decisionem observaverint differentias Glossa verbo *Testes in d. c. significavit*, & ibi Mysinger, docte Gothofredus *in l. leg. 40. ff. de leg. Aquil.* Jure autem Cæsareo, ut in his casibus testes recipiantur, debet lis statim summarie institui, ut expresse probatur *in d. l. in lege* ad quam respexisse credo Innocentium nostrum *in c. 4. de confirm. utili*, quam perperam a pluribus accipi jam notavit Cujacius *in l. penult. Cod. de testibus, novella 90. cap. 2. & 9.* unde desumpta est authentica *sed & si quis, Cod. de testibus*. Prosequuntur hujus, tam primæ, quam secundæ exceptionis praxim Mysing. *l. 4. observ. c. 71. & 72.* Gaillus *l. 1. observ. cap. 92. & 93.* Vela *tom. 1. dissert. 7. n. 43.* Tertia exceptio traditur ab Innocentio, cum reus contumax est; & agitur de matrimonio carnali, vel de electione canonica (quæ matrimonium spirituale appellatur, ut probavi *in cap. nosti, de elect.*) tunc enim licet testes recipere lite non contestata, *d. cap. quoniam, §. porro*: quæ causa probatur *ex cap. cum olim 7. de dolo & contumacia, c. 1. qui matrim. accusare possunt*; & illi adjungenda est alia, videlicet cum agitur de degradatione, aut depositione Episcopi, *ex c. veritatis, eod. tit. de dolo & contum.* tunc enim ne dilatio nociva sit, non expectatur litis contestatio ad testes producendos. Quinta exceptio ab Innocentio recensetur, si procedatur ad excessuum inquisitionem, tunc enim lite non contestata possunt testes recipi, & ad ulteriora progredi. Sed tunc etiam, ut in casu antecedenti, defiderari contumaciam rei, tenuerunt Glossa & Panorm. *in presenti*, alias eo præsente litem contestandam esse ante testium receptionem, *ex cap. cum dilectus, de purgat. can. cap. cum l. & A. de re judic.* ipsi affirmant. Negat litis contestationem esse necessariam, si agatur per viam inquisitionis, Hostiensis *in presenti*, cujus opinionem late examinat Socinus *in c. qualiter, el 2. de accusat.* Sexta exceptio ab Innocentio adducitur, cum testes recipiuntur conservandæ rerum memoriæ causa, & propagandæ in posteros; nulla enim adhuc imminente controversia, quicumque testes ante litis contestationem valide recipiuntur ad futurum jus quod forte speratur probandum: quæ depositiones statim publicantur, & in publicam formam instrumenti rediguntur. Hæc acceptio approbatur *in cap. significavit 41. cap. Albericus 43. de testibus*. Et hoc examen testium quod vulgo *ad perpetuam rei memoriam* appellatur, permittitur *in l. 2. tit. 16. partit. 3. l. 14. fori, l. 175. stylı, l. 8. 19. 20. l. 33. tit. 11. lib. 2. recop.* Et magna nititur æquitate, ut videlicet jus quod speratur, statim probetur, quod forte tempore, quo obveniret, probari non posset; æquitas enim suadet, ne veritas, & probationes pereant, ut ait Venulejus *in l. curent 20. ff. de testibus*. Hujus exceptionis praxim late prosequuntur Escobar *de puritat. sanguinis, q. 14. per totam*, Borellus *tom. 2. dec. tit. 8. per tot.* Ultra prædictas exceptiones ab Interpretibus recenseri solent aliæ, in quibus testes etiam lite non contestata recipiuntur, veluti cum causa est mere spiritualis, nec datur alterius dispendium, *cap. sane 24. q. 2. cap. ab infirmis 26. qu. 7. cap. a nobis, de sent. excom.* cum de statu Ecclesiæ agitur, *cap. cum clim. de testibus*; in causa denuntiationis, *cap. novit, de judiciis*; in causa appellationis, cum appellatus est contumax, *cap. interposita, cap. sæpe, de appel.* in causa dilapidationis, *cap. fin. 3. q. 2.* in causa purgationis, *cap. cum P. de purgat. canonic.* ubi expensæ officio judicis petuntur, *cap. ex litteris, de consang. & affin.* Sed meo judicio incongrue, atque inepte casus isti, & similes excipiuntur; nam vel illi non tantum parte præsente peraguntur, ut casu appellationis, *l. ult. ff. ad Trebel. l. ult. §. illud, ff. de temp. appel.* vel sunt ex eis, qui citra litis contestationem expediuntur, & in quibus juris ordo non servatur.

6 Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec obstat difficultas supra pro dubitandi ratione adducta; nam Festus Pompejus est accipiendus juxta formam, & ritum antiqui fori Romani, ubi una fere serie, in uno tribunali, coram Prætore, non adhibitis cavillationibus, causæ contestabantur; præsens vero assertio procedit attento recentiori ordine judiciario, juxta quem absque litis contestatione, nec testes recipi possunt, nec sententia definitiva proferri. Nec augmentum difficultatis deductum ex dispositione legis Papiæ, adversatur, cui eodem modo satisfaciendum, videlicet, legem illam locum habuisse olim, cum judicia ordinaria in usu erant, at vero cum extraordinaria in usu esse cœperunt, lite tantum contestata testes recipi poterant. Nec tandem obstat dicta lex unica, *tit. 9. lib. 3. ordin.* nam procedit attento jure nostro Regio, quo inspecto, si reus citatus intra novem dies non compareat, proceditur in causa usque ad definitivam, ut docet Matienzo *ubi supra*.

7 Exponitur c. cautam de rescrip.

Sed adhuc adversus supra tradita expendo textum *in cap. causam 18. de rescr.* ubi refertur causam commissam esse ea clausula adjecta, ut parte non comparente citata, in causa sibi commissa, judices procederent, testesque reciperent, atque probationes admitterent. Et deciditur, prædictos judices delegatos secundum juris communis ordinem procedere debere: igitur quia jure communi licet testes recipere lite non contestata, Pro cujus textus interpretatione dicendum est, verum esse eam clausulam adjectam fuisse ab Innocentio III. sed ea mente, ut judices delegati quantum de jure potuissent, probationes lite non contestata reciperent: idest, in casibus, in quibus ex supra traditis a jure communi conceditur receptio testium, ipsi judices probationes admitterent: unde, ut in ejus textus notis præmonui, tantum ibi docetur, rescriptum ita interpretandum esse, ut quanto minus jus commune offendatur.

8 Intelligitur c. causam 3. de dolo & contum.

Deinde opponitur textus *in cap. causam 3. de dolo & contumacia*, ubi expresse docetur, judices delegatos, etiam lite non contestata posse testes a parte productos recipere, & definitivam proferre sententiam: igitur non recte asserimus, lite non contestata, nec testes recipi, nec sententiam proferri posse. Cui difficultati facile satisfaciemus, si animadvertamus, in eo textu litem non fuisse contestatam propter contumaciam actoris; unde recte asseritur, juxta novellam 112. Justiniani, elapso anno post contumaciam actoris, & testes recipi posse, & sententiam definitivam proferri: docet Cujacius *in commentar. ad illum textum*.

9 Exponitur l. 4. §. 4. de advoc. diverf.

Rursus adversatur textus *in leg. laudabile 4. §. quoniam 4. Cod. de advocat. diverf.* ubi asseritur, absentibus litigatoribus, & lite non contestata, licere appellationes recipere: igitur lite non contestata licet recipere. Cui difficultati respondendum est cum Cujacio *in leg. penult. C. de testibus*, asserendo, in eo textu non agi de testibus recipiendis futuræ litis gratia, sed de actis, seu instrumentis, quæ fiunt apud Patronos fisci, juris proprii conservandi causa; & verbum *Allegationes*, non est accipiendum pro probatione, sed pro protestatione, quæ fit apud acta, veluti si amisero chirographum mutui, idque aliqui alii sciunt, potero apud acta id redigere in testationem: quod non est producere testes futuræ litis, quos recipere lite non contestata prohibitum est.

TITULUS VII.

De juramento calumniæ.

CAPUT PRIMUM.

a Honorius Episcopus urbis Romæ, *omnibus Episcopis Occidentalibus.*

ADhærentes vestigiis prædecessorum nostrorum, dicentium *b* graviores quæstiones per Summum Pontificem terminari, nostrorum fratrum consilio diligenter inquisito, hujus causæ speciem irrefragabiliter, Deo opitulante, decidemus. *c* Legibus itaque cautum esse comperimus, ut nullus Clericus jurare præsumat; *d* alibi vero scriptum reperitur, ut omnes principales personæ in primo litis exordio subeant jusjurandum calumniæ. Nonnullis Legisperitis, sed & aliis quampluribus sapientibus venit in dubium, utrum Clericus jusjurandum præstare debeat, aut alii personæ liceat hoc officium delegare. Quia ergo illud constitutionis edictum, ubi Clerici jurare prohibentur, a *e* Marco Augusto Constantinopolitano Præfecto Prætorio de Constantinopolitanis Clericis promulgatum fuisse videtur, idcirco ad alios pertinere non creditur. Ut ergo ista dubietas ab omnibus penitus auferatur, secundum etiam decisionem filii *f* nostri quondam Henrici Imperatoris, ut accepimus, Ariminio factam tertio nonas Aprilis, vel sicut ibi continetur, die, cujus *g* hæc verba sunt: Nos itaque ejus interpretationem corroboramus, *h* & D. Marci constitutionem ita interpretari debere decernimus, ut ad omnium Ecclesiarum Clericos generaliter pertinere videatur. Nam cum D. Justinianus jure decreverit, *i* ut Canones Patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis Patrum Canonibus reperiatur, ut Clerici jurare omnino non audeant; dignum est, ut totus Clericalis ordo a præstando juramento immunis esse proculdubio censeatur. Præterea statuti Principis tenor penes vos talis esse dignoscitur. Nos itaque utriusque, divinæ, & humanæ legis intentione servata decrevimus, & Imperiali auctoritate irrefragabiliter definivimus, ut non Episcopus, non Presbyter, non cujuscumque ordinis Clericus, non Abbas, non aliquis Monachus, & sanctimonialis; in qualicumque causa, aut controversia, sive criminali, sive civili, jusjurandum compellatur qualibet ratione subire, sed aliis defensoribus idoneis, si expedire suæ Ecclesiæ noverint hujusmodi officium liceat delegare. Verum cum hac moderatione, ut Episcopi inconsulto R. Pont. vel quis Clericus inconsulto Prælato suo minime jurare audeat. Omnibus autem Episcopis, cunctis generaliter Sacerdotibus, aut universo Clero, ita custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari; non sumentes exemplum, seu formam a nobis, quod in *k* causa nostrorum fratrum, & Coepiscoporum *l* Aretinæ & Senen. Ecclesiæ nuper fecimus, quando eorum voluntati, & postulationi annuimus.

NOTÆ.

a *Honorius.*) In prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & post Concilium Later. *part. 23. cap. 1.* legitur, *Honorius Episcopus urbis Romæ universis Episcopis Occidentalibus*; in aliis vero codicibus habetur *Honorius III.* & illi tribuit hanc decisionem Citonius *in paratitl. ad hunc titulum*, sed perperam omnino; nam in quatuor collectionibus antiquis constitutiones Honorii III. non reperiuntur, quia post earum editionem Honorius III. floruit, nec in sua quinta collectione edita a Cironio, extat hæc decretalis: quare retinenda est vulgaris inscriptio, quæ habet, *Honorius II.* ipse enim antea Lambertus de Fagnano dictus, electus fuit in R. Pont. anno 1124. & floruit usque ad annum 1130. ut referunt Baronius, & Coriolanus *in eodem anno*. Scripsit epistolas diversas, ut refert Ludovicus a S. Carolo *in Biblioth. Pont. in Honorio II.* ex quibus epistola missa universis Episcopis Occidentalibus refertur in præsenti.

b *Graviores quæstiones.*) *Cap. 1.* ubi late probavi, *de transl. Episc.*

c *Legibus.*) Videlicet *l. cum Clerici, C. de Episc. & Cleric.* ubi refertur constitutio Imperatoris Marciani, de qua infra agemus.

d *Alibi.*) In legibus scilicet, & constitutionibus, quas infra dabimus pro illustratione conclusionis.

e *Marco Augusto.*) Mendose legendum enim est, *Marcianus Augustus*, ut legitur in inscriptione textus *in d. l. cum Clericis*. Iple floruit ex anno 431. usque ad ann. 460. & anno 456. edidit prædictam constitutionem. Fuit vindex libertatis ecclesiasticæ, unde in gratiam Clericalis status varias fecit constitutiones, quas refert Baronius in prædictis annis: notavit Menardus *ad concord. regul. c. 8. §. 13.*

f *Filii nostri.*) Henrici videlicet II. filii Conradi Imperatoris, qui coronatus fuit Imperator anno 1046.

g *Verba hæc.*) Hujus constitutionis verba referuntur *in c. 1. hoc tit. in 1. collect.* & in codice legum antiquarum, *lib. 1. legum Longobr. tit. 47. l. 11.* in hæc verba: (Henricus divina pietate II. Romanorum Imperator Augustus. Quoniam legibus cautum est, ut nemo Clericorum jurare præsumat: alibi vero reperitur scriptum, ut omnes principales personæ in primo litis exordio subeant jusjurandum calumniæ; nonnullis Legis peritis res venit in dubium, utrum Clerici jusjurandum præstare debeant, aut alii personæ hoc officium liceat delegare. Quia enim illius constitutionis edictum, ubi Clerici jurare prohibentur, a Marco Augusto constitutum est, propterea quia de Constantinopolitanis Clericis promulgatum fuisse videtur, idcirco ad alios Clericos pertinere non creditur. Ut ergo hæc dubietas omnibus penitus auferatur, illam D. Marci constitutionem ita interpretari debere decernimus, ut ad omnium Ecclesiarum Clericos generaliter pertinere judicetur. Nam cum D. Justinianus jure decreverit, ut Canones Patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis Patrum Canonibus reperiatur, ut Clerici jurare non audeant, dignum est, ut totus Clericalis ordo a præstando jurejurando immunis esse proculdubio censeatur. Quapropter nos utriusque, videlicet divinæ, & humanæ legis intentione servata, decernimus, & Imperiali auctoritate irretractabiliter definimus, ut neque Episcopi, neque Presbyteri, nec cujuscumque ordinis Clericus, non Abbas, non aliquis Monachus, vel sanctimonialis, in quacumque controversia, sive criminali, sive civili, jusjurandum qualibet ratione compellatur subire, sed advocatis suis propriis, & idoneis hoc officium debeant delegare.

h *Divi.*) Obscæcata antiquitas imperatoriam Celsitudinem de cælo delapsam existimabat, ideoque plerumque Deos Imperatores vocitabat. Scribonius Largus *in præfat. ad Julium Callixtum*, ibi; *Ut primum potuisti, non es passus cælari tua erga me pietatis officia, tradendo scripta nostra Deo nostro Cæsari*. Unde Martialis de edicto Domitiani, *l. 5. epigram.* ait:

Edictum Domini, Deique nostri.

Et *lib. 9.* ibi:

Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris.

Plura adducunt Philippus Camerarius *cent. 3. cap. 18.* Salcedo *de regim. Princip. l. 3. c. 11. differ. 37.* Henricus Docerlus *de auspicio Regio, c. 3.* & Cæsares ipsi divinitatis, & numinis titulos vanos potius quam veros sibi arrogabant, ut constat ex novella 113. Justin. apud Julianum antecessorem, *l. 2. C. de Fabric. lib. 11. l. 10. C. Theod. de diverf. rescriptis, l. ult. C. de acquir. possess. l. 2. C. de tempor. appell. l. unic. C. Theod. de imaginib.* Plura congesserunt Brissonius *de V. S. verbo Divus*, & *l. 3. de formulis, fol. 634.* Demisterus *ad Rosinum. l. 3. antiquit. c. 2.* Buleng. *l. 1. de Imperat. c. 9.* Just. Lipsius *in notis secundis ad lib. 2. annalium Taciti, pag. 509.* Petrus Greg. *l. 6. de repub. c. 13.* Malvenda *de Antichristo, c. 11. & 13.* Solorzanus *tom. 1. l. 2. de jure Indiar. c. 21. n. 54.* Salas *de legibus q. 95. tract. 15. disp. 7.* Hinc Imperialia rescripta cælestia oracula dicuntur *in leg. 9. C. Theod. de jurisd. l. 5. C. de aquaeductu, novel. Majorani, tit. 7.* Cælestia statuta *in l. 3. C. Theod. de statu lib.* Quam nimiam adulationem respuerunt alii Imperatores, quos referunt Baronius *tom. 7. anno 519.* P. Greg. *d. l. 6. cap. 12.* Alemanus *in notis ad histor. Procopii, pag. 73.* Caramuel *in Theolog. Mor. disp. 4. n. 109.* Illud tamen notandum est discrimen inter Imperatorem adhuc superstitem, & eum vita functum; nam vivus semper dicebatur Dominus, defunctus vero Divus; notum est enim illud Batani apud Sartianum de fratre Geta occiso: *Sit Divus, dum non sit vivus.* Minutius Felix *in Octavio*, ibi: *Et Divi ceteri Reges, qui consecrantur, ut non ad fidem Numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis, inditis his denique hoc nomen adscribitur: optant in homine perseverare, fieri se Deos metuunt, etsi jam senes.* Divales etiam dicebantur. Rufus Festus in breviario: *In tempus Divalis Constantii reservata duravit.* Rationem hujus vetustæ adulationis reddit antiquus Auctor, qui nomine Caroli Magni editus est, *lib. 1. contra Synodum Græcam de adoratione imaginum, c. 3.* ibi: *Sceptra imperialia retinentes post mortem, in Deos transferri credebantur, & Divi vocabantur.* Late illustrant Juretus *ad Symmachum lib. 13. ep. 63.* Ferrandus *in disquis. relig. in notis ad dedicatoriam, §. 4. de divinit. Imper.* Buleng. *l. 1. de Imper. c. 5.* Unde Gajus *in l. quod Principis 98. ff. de legat. 2.* cum de Principe qui decessit agit, ait; *Ab hominibus ereptus.* Non dixit, *mortuus*, quod humanæ fragilitati tribuitur; sed *ereptus*, quia Deitatem significat. Hinc etiam formula illa, *Divæ recordationis*, ut legitur tit. epistolæ 87. Joan. Papæ VIII. *Ludovico glorioso Regi, filio divæ memoriæ Caroli II.* Et epist. 92. *Dilectæ filiæ Algenbergæ Imperatrici, divæ memoriæ quondam Domini Ludovici.* Et *l. 1. C. Theod. de collat. donat. Ab exordio Imperii divæ memoriæ Patris mei.* Et *l. fin. eod. tit. l. 35. C. de Episc. & Cler.* Neroni tamen hunc titulum fuisse denegatum ob nimiam erga patriam crudelitatem, constat *ex l. 1. ff. ad Trebell.* valde autem miror hunc honorem concessum fuisse Imperatori Juliano Apostatæ, & religionis Catholicæ hosti infensissimo, ab Imperatoribus Christianis Valentiniano, & Valente, *in l. 2. C. Theod. de actor. & procurat. l. 20. de cursu publico, in eodem Cod.* a Gratiano, Valentin. & Theod. *in l. 4. Cod.*

de calcis coctor. ex Theod. Ex autem adulatio, seu vanitas, merito fastioribus Scriptoribus, tam paganis, quam Christianis displicuit. Ex paganis Aurelio Victori, qui *l. de Cæsaribus*, *c.* 33. conqueritur in cælestium numerum referri quosdam Principes æque exequiis dignos, cum illud verum, atque unicum decus pessimo cuique gratis tribueretur, demptum impie bonis. Ex Christianis, S. Prospero Aquitaniæ Episcopo, *lib. dimid. temp. c.* 7. *Execrabile est, quod mortales reges vocarentur Dei.* Joan. Sarisber. *l.* 3. *policrat. c.* 10. *Tractum est hinc nomen, quo principes virtutum titulis, & vera fidei luce praefulgentes, se Divos audeant, nedum gaudeant appellare, veteri quidem consuetudine etiam in vitio, & adversus Fidem Catholicam obtinente.* Unde in praesenti Honorius II. tantum refert constitutionem Henrici, non tamen probat praedictam nomenclaturam. Aliquando tamen Imperatores Dominorum nomen abhorruerunt: testis est Tertul. *in Apolog. cap.* 34. Augustus Imperii formator, ne Dominum quidem dici se volebat. Cajus pro maledicto, & opprobrio nomen istud habuit, ut Auctor est Tranquillus *in August. c.* 53. de qua re eleganter dixit Philo Alex. *lib. de elegant. ad Cajum*, & agit eruditus Joan. Filesac. *l.* 1. *select. c.* 4.

i *Canones vim legum.*) *Novella* 6. & 131. *Justiniani*, probavi *in c.* 1. *de constit.*

j *Patrum canonibus.*) Videlicet *in c.* 1. *penult. & ultim.* 32. *q.* 5. & aliis adductis pro ratione dubitandi ad textum *in c. significasti, de elect.*

k *Causa.*) Inter Gualfridum enim Senensem Episcopum, & Vvidonem Monachum Aretinum lis diuturna agitata fuit temporibus Honorii II. quae usque adeo crevit, ut Aretinus Praesul armis succinctus multa suae ditionis recuperaverit, quae illi per vim, ac dolum Episcopus Senensis ademerat, ut refert Ughellius *t.* 3. *Ital. pag.* 466. *in serie praesulum Aretinae Ecclesiae.*

l *Aretin.*) Aretium inter nobilissimas Etruriae urbes enumeratur a Livio Strabone, & Ptolomeo, & relatis ab Ughellio *t.* 1. *Italia sac. pag.* 448. Colonia Romanorum fuit, ut testatur Frontinus *de coloniis*, ibi; *Aretio muro ductu, Coloniam lege Titiae viralis deducta est*, Et alibi: *Aretium lege Antistia cecisse limitibus Graechianis.* Jam a primis Ecclesiae temporibus Cathedrali Ecclesia praefulget, cujus originem, & Praesulum seriem refert Ughellius *ubi sup. p.* 452.

m *Senen.*) Senensis Civitas antiquissima Metropolis est Italiae, circa cujus principium, & incolas varias ex variis adduxit Ughellius *t.* 3. *Italia, pag.* 616. qui refert jam a temporibus Diocletiani, & Maximiani Cathedra Episcopali decorari. De ea nos alibi plura.

C A P U T II.

Eugenius III. Papa a *Ardizioni Rom. Ecclesiae Subdiacono*, & *Magistro Omnibono*.

Litteras benignitatis vestrae benigne suscepimus, in quibus utrum in causa, quae inter vener. fratrum nostrum G. *b* Bonon. Episcopum, & dilectum fil. nostrum Aldricum Paduanum Abbatem sub vestro examine agitatur, juramentum calumniae praestari conveniat, requisistis. Sane Rom. Ecclesia in his causis, in quibus de decimis Ecclesiae, & rebus spiritualibus tantum agitur, juramentum calumniae nunc dare, vel recipere consuevit, eo quod hujusmodi causae non ex legum districtione, sed canonum aequitate finem debitum sortiuntur. Canones autem juramentum calumniae nulli prorsus indicunt. Unde contentione de juramento praestando dimissa, ad ulteriora discretio vestra procedat.

NOTÆ.

a *Eugenius III.*) Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & post Concilium Lateran. sub Alexandro III. *p.* 23. *cap.* 2. Eugenius III. antea dictus P. Bernardus, Monachus Cistercienfis in coenobio S. Anastasii, electus fuit in R. Pontificem anno 1145. cujus electionem narrat Baronius *d. anno* 1145. ita. (Post obitum Lucii, ob tumultuantes Romanos Arnaldistas convenerunt unanimes Cardinales metuentes in Ecclesiam Monasterii S. Cæsarii, illeque Dei nutu, haud de gremio, ex more, aliquem eligendum putarunt ex Cardinalibus in Rom. Pontificem, sed convertentes oculos in Abbatem Monasterii S. Anastasii Triumfontium, Ordinis Cistercienfis, eidem haud pridem sub Innocentio Papa II. a S. Bernardo praefectum, Bernardum itidem nominatum, patria Pisanum, virum probitate insignem, & prudentia in negotiis obeundis locupletem, tempori perditissimo, quo hujuscemodi bella civilia flagrarent, putarunt fore aptissimum, quem cum sagacissimum fuissent experti, pari consensu summa concordia elegerunt.) Miris laudibus eum extollunt Baronius, & Coriolanus, & post eos Maurique *t.* 2. *annal. Cisterc. dict. anno* 1145. *cap.* 1. scripsit nonnullas epistolas, quarum meminit Ludovicus a S. Carolo *in Biblioth. in vita ipsius*, ex quibus praesens refertur missa Subdiacono, & Magistro Romae degentibus: ipse enim Eugenius III. fere per totum sui Pontificatus tempus Roma abfuit, variatque orbis Provincias peragravit, ut refert Manrique *ubi proxime*.

b *G.*) Gerardum videlicet, qui Canonicus regularis S. Joannis in Monte, assumptus fuit in Bononiensem Praesulem anno 1145. & ab Eugenio III. confirmationem obtinuit omnium privilegiorum suae Ecclesiae competentium: quae confirmatio forsan ansam dedit praesenti liti cum Aldrico Abbate Paduano motae.

C A P U T III.

a Idem.

In pertractandis causis Sacramentum de calumnia non passim praecipimus exhiberi; sed cum fieri facimus, & causae, & principalium personarum qualitate inspecta diligenter, quandoque per principales personas, quandoque per oeconomos sibi indultos, qui causam omnino non nesciant, in anima jurantis praestari mandamus. Ut igitur causa quae inter Abbatissam Sanctae Trinitatis, & Reipulensem Ecclesiam agitatur, sine dilatione finem debitum, auctore Domino sortiatur, praesentium vobis auctoritate mandamus, quatenus sicut salubrius, & competentius vobis visum fuerit, causam ipsam appellatione remota dictante justitia, terminetis. Adjicimus etiam, ut propter injuriam, quam ignorante Abbatissa Sanctae Trinitatis, Reipulensi Abbati audivimus illatam, si aliter ei justitiam favere dignoscitur, Monasterium Sanctae Trinitatis nullatenus suo jure privetur.

NOTÆ.

a *Idem.*) Ita legitur post Concilium Later. *p.* 23. *cap.* 3. in hac sexta collectione additur *Eugenius III.* in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. habetur, *August. servus Dei*, quae omnes inscriptiones recte conveniunt huic capiti, si ejus vera historia perpendatur. Sciendum enim est, Eugenium III. ex Monacho Cistercienfi in Pontificem electum, anno 1150. privilegium concessisse Monachis Cistercienfibus, ne cogerentur pro emergentibus causis juramentum calumniae praestare, ut refert Manrique *d. an.* 1150. *c.* 6. *n.* 5. cujus privilegii praecipua verba referuntur in hoc textu; unde recte in hac sexta collectione, & *d. p.* 23. *c.* 3. textus iste tribuitur Eugenio III. in prima vero collectione, pro inscriptione usurpavit Bernardus Papiensis priora privilegii verba: verum cum adhuc Monachi vexarentur, & Monasterium Claravallis multis, nec contemnendis possessionibus se spoliatum conquereretur; quia ejus Monachi juramentum calumniae praestare recusaverant, idem Eugenius paterna, quae omnes Cistercienses, sed praecipue Monachos Claravallis, fovebat solicitudine, per epistolam suam decretalem ad Episcopos Magalonensem, & Nemausensem directam, de oeconomo ei centuit providendum: quae reperitur in textu sequenti, & ex authographo Vaticano ita fideliter integram refert Manrique *ubi sup. c.* 5. *n.* 6.

C A P U T IV.

a Idem b *Magalon.* & c *Nemausen. Episcopis*.

Imperatorum saecularium leges, & Sanctorum Patrum ecclesiasticae constitutiones viros religiosos in Omnipotentis Dei servitio protegunt, & defendunt, & nullam eis molestiam, vel turbationem, quae sacro ordini contradicat, irrogari permittunt. Accepimus autem, quod quidam *e* causidici de terra vestra, occasione decidendarum litium, aliquando solent exigere ab Abbate, & Fratribus *f* Claravallis juramentum de calumnia, sicut ab aliis hominibus exigebant: quod quidem inter Fratres hujus Ordinis insuetum est, & nos ad id faciendum eos cogere non possumus, nec debemus; sed ne aliena jura hujusmodi occasione videamur illicite detinere, & ipsi a causa sua decidat, si ex parte ipsorum praedictum juramentum, cum res expostulaverit, non fuerit praestitum: eis praecipimus, ut in suo Monasterio, sicut Imperiales leges consentiunt, *g* oeconomum statuant, qui pro eis petere & excipere, atque juramentum de calumnia, cum necesse fuerit, valeat exhibere. Ideoque per praesentia scripta s. v. m. quat. eosdem fratres, qui in ista causa sunt, sicut ratio exigit, plenius instruatis, ut de cetero sua jura propter hoc non possint amittere, & aliis, quantum justitia permittit, in talibus causis debeant satisfacere. Tu vero frater Nemausensis Episcope, personam idoneam, quae in tali officio conveniens videatur, ipsi Monasterio oeconomum *h* statuas.

NOTÆ.

a *Idem.*) In prima collectione, *sub hoc tit. c.* 5. legitur *Eugenius R. Magal. & Eumacen.* in hac sexta collectione legitur, *Magalon. & R. Nemausen.* sed vera hujus textus inscriptio ita restituenda est, *Magalon. & Nemausen. Episcopis*.

b *Magalon.*) Magalona insula Civitas est maris Mediterranei, antiquae Galliarum notitiae Thuanae, tribus milliaribus distans a monte Pessulo, praeclara Volcarum urbe, in quam postea a Magalona translata fuit Sedes Episcopalis; unde Praesul ille hodie appellatur Episcopus montis Pessulani. Ejus mentio fit *in c. cum olim* 12. *de re judicata*, *c. ad abolendam* 13. *de haereticis*, ubi notavimus.

c *Nemausen.*) Nemausensis Civitas est in Gallia Narbonensi, cujus Episcopus Pelagius dictus subscripsit in Concilio Narbonensi. Dicemus *in c.* 5. *de conferm. utili*.

d *Imperatorum.*) De quibus passim in titulis Codicis *de Episc. & Clericis*, *de sacros. Eccl. & novel.* 5. *de Monachis*.

e *Causidici.*) Idest advocati, seu syndici, ut exposui *in c.* 1. *de postul.*

f *Claravallis.*) Ita legitur in hac sexta collectione; in antiquis vero Codicibus habetur *Franchevallis*, ut notavit Ant. Aug. *in notis ad* 1. *collect. in hoc textu*: quod Monasterium est Ordinis Cistercienfis in diecesi Nemaus. Ejus Abbatia filia est Morismundi, ut referunt Henriquez *in fasciculo*, *l.* 2. *differt.* 42. Manrique *t.* 1. *annal. Cisterc. anno* 1143. *c.* 7. *nu.* 4. Frat. Sarmat. *t.* 4. *Gall. Christ.*

g *Oeconomum.*) Idest defensorem, ut interpretatur Cironius *ad tit. de syndico*.

h *Statuas.*) Temporibus Eugenii III. parebat Episcopo Nemausensi; postea vero Innoc. III. illud recepit sub sua protectione, ut refert Manrique *ubi supra*.

C A P U T V.

Lucius III. a *Helienfi Episcopo*, & *Archid. Norvicen.*

b Ceterum quia novis morbis nova convenit antidota praeparari: mandamus, quatenus in causa fidejussioni, quae inter R. Clericum de S. Albano, & I. & F. Canonicos London. vertitur, ad veritatem eliciendam, appellatione cessante praestari faciatis ab utraque parte calumniae juramentum, consuetudine, quae legi contraria est, non obstante.

NOTÆ.

a *Lucius.*) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 6. & post Conc. Lat. *p.* 23. *c.* 5. & *c. pervenit* 2. *de fidejuss.* ubi prior, praecipuaque pars hujus textus reperitur. De Episcopo Helienfi egi *in c. pastoralis de rescriptis*: de Norvicenfi *in c.* 5. *de off. vicar.*

b *Ceterum.*) Verba hujus textus referuntur in calce textus *in d. c.* 2. *de pignor. in* 1. *collect. sub tit. de fidejuss. c.* 2. ideoque ejus species repetenda est *ex d. c. pervenit* 2.

C A P U T VI.

Innoc. III. a *Episcopo Placentino*.

Cum causam, quae inter ven. f. n. *b* Ravennat. Archiepiscopum, & Commune *c* Faventinum, super villa *d* Luci, ac quibusdam aliis vertitur, delegatis judicibus duxerimus committendam, & iidem in negotio minime processissent, nos partibus dedimus in mandatis, ut pro ipsa causa nostro se conspectui praesentarent, quorum procuratoribus cum instrumento de rato in nostra praesentia constitutis, petitionem ipsius Archiepiscopi per procuratorem ejus fecimus exhiberi, & ad eam partem alteram respondere: ac interrogationibus, & responsionibus traductis in scriptis, & lite coram nobis plenissime contestata, fecimus calumniae juramentum ab ipsis procuratoribus utrinque praestari.

NOTÆ.

a *Placentino.*) Ita etiam habetur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. unic.* & *in c. cum causam* 23. *de testibus*, *in c. licet causam* 9. *de probat.* ubi aliae partes hujus decretalis referuntur. Placentia inter nobiles vetustasque Insubriae, olim Togatae, modo Cispadanae Civitates numeratur, deliciosa, in amoena planitie sita; unde Placentia dicta fuit, cujus originem & constructores ex Merulla, Paterculo, & aliis refert Ughellius *t.* 2. Italiae sacrae, *pag.* 248. Habet Ecclesiam Cathedralem jam a quarto saeculo Ecclesiae, cujus Praesuli Ægidio dicto missa est haec epistola, cui alias misit Innocentius III. quas refert Ughellius *ubi supra*, *numer.* 53.

b *Ravennat.*) Albertum videlicet, qui ab Innocentio III. electus fuit Praesul Ravennae, renuente Clero ipsius Ecclesiae, ut refert Ughellius *t.* 2. *Italia sacra*, *pag.* 576. De ipsa Ecclesia nonnulla notavi *in c.* 1. *de postul. Prael.*

c *Faventin.*) Situm, originem, & progressum hujus Civitatis refert Ughell. *d. t.* 2. *Italia*, *pag.* 522.

d *Villa Luci.*) Ex aliis, ut constat *ex d. c. licet* 9. *de probat.* & traditis a Hieronymo Rubeo *in hist. Ravennat. lib.* 6. ubi eam litem refert, & nos dabimus *in d. c.* 9.

e *Contestata.*) Per petitionem actoris, & responsionem rei, juxta adducta *in c. unic. de litis contest.*

C A P U T FINALE.

Gregorius IX. a *Episcopo Belvacensi*.

Cum in causa pecuniaria (quam inter te, & R. motam esse proponis) non per te, sed per syndicum, vel actorem elegeris litigare, per illum quidem praestandum erit calumniae juramentum. Quod si per teipsum, propositis tantum, sed non tactis Evangeliis (sicut in dicendo testimonio) a te videtur hujusmodi juramentum exhibendum. *Et infra*: Poena vero recusantis hoc juramentum, cum praestandum fuerit, est, ut actor ab instituta cadat actione, reus autem haberi debeat pro confesso.

NOTÆ.

a *Belvacensi.*) Legendum est, *Bellovacensi*. Bellovacensis enim Civitas perantiqua est, & celebris in Provincia Rhemensi Galliae, cujus incolas inter Belgas plurimum auctoritate, virtute, & hominum numero valuisse testatur Cæsar *l.* 8. *de bello Gallico*. Habet Ecclesiam Cathedralem D. Petro dicatam, celebrem ob miram Ecclesiae, chorique structuram: ejus Episcopus Comes, & Par Franciae est: ejus mentio fit *in c. quod nobis*, *qui filii sint legit. c.* 2. *de foro comp.* ubi notavi, *c. sicut nobis*, *de testibus*, *c. cum in tua de sponf.* Ejus Praesuli Roberto dicto missa est praesens decisio.

COMMENTARIUM.

Calumnia quid?

His decisionibus sub praesenti rubro compilatis, Raymundus proponit, complectiturque eam judicii partem, quae ad juramentum calumniae spectat, quam ut methodice exponam, atque absolvam, sciendum est, calumniam dictam esse a caluendo, fraudemque, seu malitiosam frustrationem significare, ut pro expositione illius capitis legis 12. Tabul. *Si calvitur, pedemve struit* docet Gajus *in l. si calvitur* 233. *ff. de V. S.* ubi plura cumularunt Fornerius, & Gentilis. Calumnia enim nihil aliud est, quam cavillatio, cum per frau-

fraudem, & fruſtrationem victi litigatores, alios calvantur litibus, ideſt decipiunt. Iſidorus *l. 5. etig. c. 26.* Nonius *cap. 1. n. 20.* Unde Tullius *l. 2. de repub.* apud Nonium ait: „ Ut „ Carneadi reſpondeamus, qui ſæpe alienas cauſas ingenii „ cauduca ludificare ſoleat. *D. Aug. in illud Pſal.* Non calum- „ nientur me ſuperbi, *ait*: An forte hanc habet vim, quam „ haberet ſi diceretur: Non me capiant calumniando? „ Et per eam vocem exprimitur omnis verſutia, & malitia alterius decipiendi, & fruſtrandi cauſa adhibita, ideſt in alterius incommodum intenta, quæ tam late, longeque patet, quam ipſa hominum ſocietas; quare non tantum in judiciis, ſed & actibus extrajudicialibus confideratur, calliditaſque, ſeu calvitas appellatur ab Ulpiano *in l. ſi fideiuſſor 19. §. in omnibus, ff. de mandatis.* In judiciis commune peccatum eſt, tam actoris, quam rei, necnon advocati, & procuratoris, *leg. 1. §. par calumniam; ff. ſi mulier ventris nomine, l. 2. C. de jur. propter calumn. c. calumniam de pœnis.* Nec ſolum in judiciis criminalibus datur, *l. 1. & per totum ff. & Cod. ad Turpil. cap. 1. & per tot. de calum.* verum in cauſis civilibus plerumque committitur, *l. ſi per alium 5. §. 1. ff. ne quis eum qui in jus, l. cui neceſſitas 39. §. 1. ff. de liber. cauſa, l. 4. §. calumniatur, l. non alia, ff. de his qui not. infam. l. 1. §. ſed & ſi quis, ff. de ventre in poſſeſſ.* Hinc per calumniam hereditatem peti ait Paulus *in l. poſtquam 43. ff. de petit. hereditat.* & per calumniam ſatisdationem peti, dixit Ulpianus *in l. 3. §. 1. ff. ut in poſſeſſ. legat. l. Papinianus 8. ff. de Prætoris ſtipul.* Per calumniam deſiderari ſtipulationem, idem Ulpianus reſpondit *in l. 1. §. penult. ff. eod. tit.* & Paulus *l. 1. ſentent. tit. 5. in princ.* calumnioſum eum eſſe ait, qui ſciens, prudenſque per fraudem negotium alicui comparat: notarunt Cujac, *ibi*, Pichardus *in princ. Inſtit. de pœna temere, n. 11.* Vultejus *de judiciis l. 3. c. 2. n. 4.* Aliquando calumnia accipitur pro qualibet actione, petitioneve, in veteribus formulis apud Marculfum, & Rogerium Hovedenum *annal. parte poſter.* ubi agit de controverſia inter Caſtellæ, & Navarræ Reges, cujus Henricus II. Angliæ Rex arbiter erat: „ Calumnia Regis Caſtellæ Rex Aldefonſus Ca- „ ſtellæ, & Toleti conqueritur, & petit a Rege Sancio Na- „ varræ avunculo ſuo ſibi fieri reſtitutionem, &c. Poſtea „ tunc ſurrexerunt Epiſcopus Pampelunæ, & alii nuntii Re- „ gis Navarræ, & nihil eorum, quæ ab adverſariis ſuis pro- „ ponebantur contradicentes, ſcriptum quoddam, in quo pe- „ titiones, & calumniæ & allegationes ſuæ ſcribebantur, „ protulerunt in hac forma: Calumnia Regis Navarræ pe- „ tit Sanctius Rex Navarræ Cudejo Monaſterium Montem „ de Oca. „ Pro omni genere litium etiam accipitur apud Arnulfum *ep. 32.* Ivonem *epiſt. 17.* Flodoardum *hiſt. Rhemenſ. l. 4. cap. 10.* Pro pœna ipſius calumniantis accipitur in legibus Longob. *tit. 17. Non habeat de una cauſa duas calumnias.* In præſenti titulo accipitur pro fraude, & injuſta interpellatione, ut Cironius, Legaufre, & Chaſſaneus notarunt in præſenti rubrica.

3 De origine hujus juramenti. Ad compeſcendam hanc jurgantium, & litigatorum calumniam varia fuerunt remedia a jure ſtatuta, ut pœna decimæ partis litis in cauſis civilibus, *prin. Inſtit. de pœna temere litig. l. 1. apud Juſtin. l. 3. Cod. Hermogen. de calumniat.* In cauſa criminali pœna talionis, de qua agemus *in tit. de calumniat.* Tandem juramentum calumniæ, ut ob ejus religionem litigantes a calumnia arcerentur. Circa cujus jurisjurandi principium, & originem non conveniunt Interpretes. Aliqui affirmant a Juſtiniano introductum fuiſſe *in l. 2. Cod. de juram. propter calum. novell. 50. §. ultim. novell. 112. §. ad excludendum*: tenuerunt Cujacius, & Giphanius *ad tit. C. de jurejur. propter calumn.* Alii vero veteribus Juriſconſultis illud minime incognitum fuiſſe ſentiunt, ejuſque veſtigia agnoſcunt *in l. inter §. qui familiæ, ff. familiæ erciſc.* quam perperam Triboniano adſcribant Cujacius, & Giphanius *ubi proxime, l. jusjurandum 34. §. qui jusjurandum, ff. de jurejur. l. de pupillo 5. §. qui opus ff. de novi operis nunt. l. qui bona 13. §. qui damni, ff. de damno infecto*, & apud Ciceronem ibi: „ Proh „ Dii immortales! itane quemquam tanta audacia prædi- „ tum, qui quod referre non vult in tabulas, id petere au- „ deat: quod injuriatus referre nolit, adjurare in litem non „ dubitat; quod ſibi probari non poſſit, id perſuaderi al- „ tori conatur. „ Probat Vela *t. 1. diſſert. 22. n. 8.* Et jure Digeſtorum, qui deferebat juramentum adverſario, id ſe non calumniandi animo deferre jurabat, *d. l. jusjurandum, §. qui jusjurandum l. Marcellus 11. §. 1. ff. rer. amot. l. ult. C. de fideicom. l. debita, C. de rebus creditis.* Et qui poſtulabat, ut theſaurum e ſuo fundo effodere liceret, id non calumniandi animo poſtulare aſſerebat, *l. theſaurus 15. ff. ad exhib.* Et qui ſatisdandi cauſa in municipium ex Roma vocabatur, de calumnia jurabat, *l. de die, §. jubetur, ff. qui ſatiſd. coeg.* Item qui poſtulabat ſibi edi rationes, *l. ſi quis 6. §. exhibatur, l. quidam 9. §. ult. ff. de edendo*; vel caveri ſibi damni infecti, *l. qui bona, §. qui damni, ff. de damno infect.* Paulus *l. 2. ſent. tit. 1. §. 2.* In quo interpretum diſſidio placet ſententia Gothofredi *in diſt. l. jusjurandum 34. §. 4. litt. T*, Cujacii *in d. novell. 29. Juſtin.* Velæ *t. 2. diſſert. 22. n. 17.* qui affirmant jam jure Digeſtorum jusjurandum in initio litis præſtari, juxta formam, quam late probat, & illuſtrat Dorleans *ad Tacitum l. 1. an. pag. 172.* Verum ejus modum, conditioneſque Juſtiniani ſanctionibus auctas, perpolitaſque, & ad meliorem formam redactas fuiſſe aſſerit *in d. l. 1. & 2. C. de jurejur. propter calum. novel. 49. c. ult. & 194. per tot.* Adjecit enim Juſtinianus, ut Sacris Scripturis ante judicem propoſitis, prius hoc juramentum exigeretur ab actore, deinde a reo, poſtea ab advocatis, tam actoris, quam rei, *§. 1. Inſtit. de pœna temere litigant.* Ejus formula elegans extat apud Julianum Patricium *conſtit. 44. cap. 178.* Unde ſi initium hujus juramenti repetamus, a temporibus mediæ Juriſprudentiæ in uſu fuiſſe inveniemus: illud vero adductum, & rectius diſpoſitum fuiſſe a Juſtiniano. Quod juſtiniani jure Pontificio admiſſum fuiſſe ſatis conſtat ex præſenti titulo, & *ex cap. cum dilectus 32. de election. cap. conſtitutus 2. de fideiuſſor.* & jure noſtro regio obſervatum, & ſtatutum reperitur *in l. 8. tit. 10. l. 23. & 24. tit. 11. p. 3. l. 1. tit. 4. lib. 3. ordin. l. 1. tit. 6. l. 4. recop.* ubi plura congeſſerunt ordinarii Regnicolæ, & illius capita explicant Donellus *l. 24. comment. cap. 3. & de jurejurand. c. 2.* Maranta *de ordin. judic. 2. par. ſexta partis, actione 1.* Petrus Gregor. *l. 4. ſyntagm. cap. 7.* Menchaca *l. 1. illuſtr. cap. 31. num. 41.* Menochius *de arb. l. 1. quæſt. 20.* Matienz. *in dialeg. relat. 3. par. cap. 44. num. 8.* Suarez *tom. 2. de relig. l. 2. c. 31.* Anton. de el Re *de jurament. calumn.* Myſing. *lib. 1. obſerv. cap. 74.* Giphanius *ad l. 2. Cod. de jurejur. propter calum.* Vela *diſt. diſſert. 22. num. 16.* Sed hodie apud nos hoc juramentum cum omnibus conditionibus in uſu non eſt, ſed ejus loco ſucceſſit juramentum malitiæ in fine libelli apponi ſolitum, his verbis, *Y juro a Dios, y a eſta cruz, en animo de mi parte, y la mia, que eſta demanda, o eſta excepcion no pongo de malicia.* Notavit Paz *in praxi, t. 1. 4. temp. n. 39.*

4 De finitur hoc juramentum. Juramentum hoc generaliter acceptum poteſt ita definiri: „ Juramentum calumniæ eſt aſſertio ſub divina obteſtatio- „ ne ſinceræ conſcientiæ, fraudis expers, de cauſæ ſuæ juſti- „ tia perſuaſa. „ Quæ definitio colligitur ex ſupra traditis; & infra adducendis. Ponuntur loco generis ea verba; *Aſſertio ſub divina obteſtatione*; quia aliæ ſunt aſſerationes cum juramento, quæ non fiunt calumniæ arcendæ cauſa. Cetera verba adjecimus loco differentiæ. Diximus *de cauſe ſue juſtitia*, generaliter, ut comprehendamus tam juramentum calumniæ judiciale, cujus exempla extant *in diſt. leg. fin. Cod. de fideicomm. diſt. l. jusjurandum 35. §. 4. l. ſi non fuerit 37. Digeſtis de jurejur. l. Marcellus 11. §. 2. ff. rerum amot. l. delatam, C. de rebus creditis, l. de die 8. ff. qui ſatiſd. cogant.* quam extrajudiciale, cujus mentio fit *in diſt. l. theſaurus 15. Digeſtis ad exhib.* & aliis ſupra adductis. Dividitur communiter hoc juramentum ab Interpretibus in generale, & ſpeciale. Speciale illud vocant, quod in ſingulis actibus, prout quidque in litem inciderit, quandocumque exigitur, & ad illum dumtaxat actum incidentem pertinet: cujus exempla referuntur *in l. 1. Cod. hoc tit. l. fin. Ced. de queſtion.* de eo, qui probatione petit, veluti teſtes & inſtrumenta, & de eo, qui petit comparationem litterarum, *in novella 73. Juſtin.* de eo, qui novum opus nuntiat, *in l. de pupillo, §. qui opus, ff. de novi operis nunt.* de eo, qui inſtrumentum falſum eſſe dicit, *l. fin. C. de fide inſtrum.* Generale appellatur, quod in initio cujuſque litis utraque pars præſtat, quo promittit, ſe non calumniandi animo litem conteſtari; quod jure noviſſimo porrigitur ad omnes articulos illius cauſæ, itaut circa ſingulos ceſſeatur repetitum, *l. 1. C. de jurejur. propter calumn.* quam diviſionem exponit, & amplectitur Vultejus *l. 3. de jud. c. 2. n. 40.* eam rejicit Giphanius *in d. rubrica*, qui in principio ejuſdem tituli, *pag. 130.* dividit hoc juramentum in novum ex jure Juſtinianeo, & antiquum temporibus Juriſconſultorum. Boniſacius etiam VIII. *in cap. 1. & 2. hoc tit. in 6.* triplex conſtituit juramentum calumniæ; aliud videlicet de calumnia, aliud de veritate dicenda, aliud malitiæ. Quæ diviſio potius diſcretionis, quam neceſſitatis cauſa facta defendi poteſt, ut docet Cujacius *in cap. pen. hoc tit.*

5 De neceſſitate juramenti. Succedit neceſſitas præſtandi hoc juramentum calumniæ. Et cum favore publico introductum ſit, *l. 2. §. ſed quia, Cod. hoc tit.* ob tres potiſſimum cauſas: prima ut ſic elicitur veritas, *cap. ex litteris, de jurejur.* ſecunda ut metu jusjurandi litigantium compeſcatur audacia, *l. 1. Cod. hoc titulo*: tertia, ut omnis calumnia arceatur, *l. 2. authent. principalis, C. de jurejur. propter calumn.* quamquam nihil prohibeat juramentum, quod de calumnia non eſt, remitti, *l. remitti 6. l. ſi non fuerit 37. l. penult. Digeſtis de jureiur.* ut cum teſti fit gratia jurisjurandi, itaut abſque juramento illi credatur, *c. tuis 36. de teſt.* & generaliter, quod inter litigantes convenit, in ferenda ſententia judex ſequatur, *l. ſi convenerit 26. ff. de re judic.* ideo hoc juramentum calumniæ remitti non poteſt, *d. l. 2. §. ſed quia*; probant Fornerius *l. 1. ſelect. c. 4.* Vela *diſt. diſſert. 22.* imo ſi reus recuſaverit illud, pro confeſſo habetur, *d. l. 2. §. quod ſi actor, c. ult. §. ult. hoc tit.* ut contingit in juramento ab actore reo delato, *l. ait 7. ff. de jurejur.* & ſi actor illud præſentare recuſaverit, cauſam amittit: docent Giphanius *ubi ſupra*, Cujacius *in l. ult. Cod. de rebus creditis*; juramentum enim hoc negligi in judicio non poteſt, quia non pro commodo privatorum, ſed pro communi omnium utilitate introductum fuit. Unde cum ad privatam cujuſque cauſam exigatur, hoc juramentum in pleriſque negotiis, quorum exempla ſupra retuli in *d. l. theſaurus 15. l. ult. C. de fide inſtrum. diſt. l. qui bona, §. penult. d. l. pupillo, §. qui opus*, remitti poteſt. Sed licet conſtitutio Juſtiniani generaliter procederet tam in juramento exacto, quam non petito: & uſu tamen judiciorum receptum eſt, ut ſi peteretur, remitti non poſſit: ſi vero non peteretur, omitti valeat, *c. 1. hoc tit. in 6.* & ideo licet expreſſe renuntiari non poſſit, tamen tacite remitti valet, ut docet Vultejus *ubi ſup. n. 39.* Giphanius *in l. 2. Cod. de jureiur. propter calum.* Oſualdus *ad Donel. l. 24. c. 3. litt. E*, Ant. Matthæus *in colleg. diſp. 9. n. 79.* Cujacius *l. 2. qq. Papin. in l. jus publicum 38. ff. de pactis*. Unde deducitur, neceſſitatem præſtandi hoc jus-

jusjurandum non provenire a jure divino, ut voluit Menochius *l. 1. de arb. q. 20. n. 2.* ideo conſuetudine, & ſtatuto tolli poſſe, licet contrarium ſentiat ipſe Menochius *n. 4.* imo apud omnes fere nationes jam invaluit hoc jusjurandum, & præſtatur, ut occurratur perjuriis, quæ frequenter committebantur, argumento textus *in l. quæ 8. de condit. inſtit. l. 2. C. de inſt. vitiat.*

6 De perſonis, quæ præſtant; hoc juramentum. Perveniamus jam ad perſonas, quæ tenentur præſtare juramentum calumniæ in judicio. Et regulariter omnes litigatores tenentur illud facere, ſive privati ſint, ſive communitates, dummodo habeant legitimam perſonam ſtandi in judicio: nec tantum ipſi litigantes, ſed etiam eorum miniſtri illud præſtant, ut advocati *diſt. l. 2. § ſed quia, l. tem 12. §. Patroni, C. de judic.* Procuratores, *c. 2. verſ. Procur. hoc tit. in 6.* defenſores *d. l. 12. § fin. autem*; tutores, & curatores, *authent. principales: C. de jureiur. propter calum.* licet quoad advocatos, & procuratores jam ab uſu receſſiſſet. Excipiuntur tamen ab hac regula Principes, quorum dignitas non patitur aliquid calumniæ ſuſpicari. Oſualdus *ad Donel. l. 23. comment. c. 3. litt. M*, Dominis in cauſis vaſſallorum, Vultejus *l. 2. de feudis, c. 6.* & *l. 3. de judiciis, c. 2. n. 63.* Nec etiam ob reverentiam, honoremque præſtant illud parentes, patronique, *l. ſi patronus 16. l. jusjurandum, Digeſtis de jurejur. l. licet 7. §. ne deferentes, Digeſtis de obſequiis parent. & patrono, l. qui bona 13. §. ſed ſi cujus, ff. de damno infecto, l. de die, §. jubetur, ff. qui ſatiſd. coeg.* Donel. *l. 24. obſerv. c. 29.* ubi Oſualdus *litt. D.* Faber *in Papin. tit. 5. princ. 2. illat. 9.* Pichardus *in rubric. de pœna temere, n. 20.* Nec contrarium probat textus *in d. l. jusjur. 22. §. 4. ff. de jurejur.* in illis verbis: *Hoc juramentum de calumnia, neque patrono, neque parentibus remittitur.* Quia ea verba in aliquibus codicibus affirmative leguntur, ita: *Æquo patrono, & parentibus remittitur*; quam lectionem amplectuntur Baldus *in l. 2. C. de jurejur. propter calumn.* Cujacius *l. 9. obſerv. c. 37.* Giphanius *in d. l. 2. pag. 130.* Faber *ſupra*, Oſualdus *l. 24. Donel. c. 21. litt. B.* Permoſinus *in c. 3. hoc tit. q. 2. n. 14.* Sed adhuc retenta vulgari lectione, quæ habet, *neque*, aliter eam textum accipit Fornerius *l. 2. ſelect. c. 4.* videlicet, quoties agitur ad rem, & propter rem juratur, tunc enim affirmat hoc juramentum non remitti patrono, aut parentibus, *ex l. quotiens 14. ff. de jurejur.* quia in eo juramento nulla calumniæ mentio fit. Fornerium ſequitur Donellus *l. 24. comment. c. 21.* Sed exiſtimo regulariter hoc juramentum remitti patrono, parentibuſque, niſi cum ipſi juramentum deferunt: tunc enim & eos jurare debere aliquando exiſtimabam: quo caſu procedit textus *in d. §. qui jusjurandum 4.*

7 De Clericis. Circa clericos certum eſt ex conſtitutione Marciani in Oriente, eos nullo modo jurare cogi, *l. cum clericis, C. de Epiſc. & cleric.* quam etiam ad Occidentales protraxit Henricus II. in conſtitutione ſupra, *c. 1.* relata, & admiſit Honorius II. *in diſt. c. 1.* ita ut Epiſcopi inconſulto R. Pontifice, clerici inſcio Epiſcopo jurare "non cogantur per ſe, Egbertus Ar- „ chiepiſcopus Eborac. in excerptis, can. 10. Ut nullus ſa- „ cerdos quicumque cum juramento juret, ſed ſimpliciter cum „ veritate omnia dicat. „ Per procuratores tamen, vel œconomos litigantes jurare debere, *c. 3. 5. peſt. & ult. hoc tit. c. operatum, 100. diſt. c. ſi quis 4. 2. q. 4. c. mutuentes 17. q. 4.* Sicut olim apud Romanos obſervabatur, apud quos cum Flamini Diali, & Veſtalibus jurare neſas eſſet ex edicto Prætoris his verbis concepto: „ Sacerdotem, Veſtalem, & Flami- „ nem Dialem in omni mea juriſdictione jurare non cogam: „ ut referunt Dio *l. 59.* Gellius *l. 10. noctium, c. 15.* Plutarchus *in q. Rom.* Seneca *l. 6. controv. c. 8.* licet Julianus ea rejeciſſet „ ab edicto perpetuo, ut notavit Bertardus „ de Juriſperitis „ in Juliano. Sacerdos raro jurat, nec niſi per ſuam Ve- „ ſtam, „ ajebat Seneca: tamen licebat ei alium aſſignare, „ per quem juraret, quod & plebiſcito confirmatum fuiſſe re- „ fert Livius *l. 3.* his verbis: "Comitis creati Ædiles forte „ ſunt ambo, qui ſtatim accipere Magiſtratum non poſſent: „ nam C. Cornelius abſens creatus erat, cum Hiſpaniam ob- „ tineret provinciam C. Valerius Flaccus, quem præſentem „ creaverant, quia Flamen Dialis erat, jurare in leges non „ poterat; petente Flacco ut legibus ſolveretur, Magiſtra- „ tum enim plus quinque dies, niſi qui juraſſet in leges, „ non licebat gerere. Senatus decrevit, ut ſi Ædilem, qui „ pro ſe jurare, arbitratu Conſulum daret, Conſules, ſi eis „ videretur, cum Tribunis plebis agerent, uti ad plebem „ ferrent datum, qui juraret pro fratre. L. Valerius Flaccus „ Prætor deſignatus. Tribuni ad plebem tulerunt, plebeſque „ cenſuit, ut perinde eſſet, ac ſi ipſe Ædilis juraſſet. „ Notarunt Cujacius *in l. 1. C. de rebus creditis*, Gutherus *l. 5. de jure man. c. 32.* Germonius *l. 1. de ſacror. immun. c. 5. n. 29.* Rouſſel. *l. 3. hiſt. Pontif. juriſd. capite: n. 8.* Sic Epiſcopi, Presbyteri, aliæque perſonæ Eccleſiaſticæ per œconomum jurant, vel per ſe; cum licentia ſuperioris. Quo modo accipiunt textus *in d. c. ceterum, hoc tit. c. 3. de fideiuſſ.* Cironius, & Alexander: Chaſsaneus *in parat. ad hunc titulum*, Cujacius *in c. 1. hoc tit. & in novella 49.* Donellus *lib. 24. comment. cap. 3. circa finem*, Martha *de juriſd. p. 4. art. 1. caſu 65.* licet ea jura aliter alii accipiant, alserentes clericos propriam cauſam proſequentes, debere de calumnia jurare, ſecus vero, ſi Eccleſiæ tantum negotia procuraverint, quo caſu accipiunt textum *in capite 2. hoc tit.* Alii etiam docent clericos non cogi jurare de malitia, teneri tamen jurare de veritate dicenda, *capite dudum 14. §. partibus, de elect. c. ex parte 32. de jurejur.* Ad quam juramenti ſpeciem referunt textus *in d. c. ceterum, c. 3. de fideiuſſ.* Quod tamen in hoc caſu clerici jurantes per procuratorem obligentur, explicat Suarez *t. 2. de relig. l. 2. de juram. c. 31. n. 4.*

8 Exponitur c. ult. hoc tit. Circa Epiſcopum, Presbyterumve per ſe jurantes eſt celebris deciſio noſtri Gregorii IX. *in c. ult. hoc tit.* ubi ſtatuitur, ut Epiſcopi dum jurant, propoſitis tantum, ſed non tactis ſacroſanctis Evangeliis jurent. Pro cujus textus expoſitione ſciendum eſt, quod licet jusjurandum ſit plura invocatio divini numinis, totamque intellectu, ſeu intellectuali loquutione conſiſtat, nec egeat verbis, aut tacta aliquo, ut probat Alciatus *in rubric. de jurejur. n. 29.* Sanchez *l. 3. in precept. c. 1. n. 2. & c. 2. n. 1.* Suarez *t. 1. de relig. l. 1. c. 1. n. 4.* unde ridet D. Chryſoſtomus relatus a Gratiano *in c. ſi aliquis 21. q. 1.* eos qui contractus forte cauſam ſequuti, plus eſſe dicunt per Evangelia, quam per Deum jurare; tamen in omni religione, Judaica videlicet, Gentilica, & Catholica obſervatum invenio, contactum alicujus rei facre in jurejurando ad majorem deliberationem, & ut juramentum in præſtitum, niſi cum magno ſcandalo violari non poſſit, adhibitum eſſe; ſiquidem mirum in modum creſcit per eam rem fides & reverentia juramenti, & cum his timor, ac terror jurantis. Unde idem Chryſoſtomus ait: *homil. 15. ad populum: Cum ſuper menſam adjuras ſacram, & ubi Chriſtus poſitus eſt immolatus, ibi fratrem tuum immolas; ſaltem iſtum librum reverere, quem in juramento porrigis*; Notarunt Cevallos *q. 507.* Covar. *in c. quamvis, p. 1. c. 1. §. 1.* Suarez *d. t. 2. de relig. l. 1. de juram. c. 12. n. 4.* Sanchez *de matrim. l. 7. diſp. 108. n. 14. & l. 3. in Decal. c. 2. n. 3.* Philippus Richer. *in authent. Juſtin. ad tit. C. de juram. calum.* Pet. Gregorius *l. 50. ſynt. c. 8.* Oſualdus *l. 4. Donelli, c. 21.* Apud Hebræos contactum in jurejurando uſitatum lego, dum Abraham ita adjuravit Eliezer, ne filio ſuo Iſaac ex filiabus Chanaam, ſed ex terra, & cognatione ejus uxorem acciperet: " Pone (inquit) manum tuam ſubter femur „ meum, ut adjurem te per dominum Deum cæli & ter- „ ræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chana- „ naorum inter quos habito; ſed ad terram, & cognationem „ meam proficiſcaris, & inde accipias. „ Et *capite 47.* Ge- „ neſis, ubi Jacob ita alloquutus eſt filium ſuum Joſeph: „ Pone manum tuam ſub femore meo, & facies mihi miſe- „ riam, & veritatem, ut non ſepelias in Ægypto, ſed dor- „ miam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, „ condaſque in ſepulchro majorum meorum. „ Cui reſpondit Joſeph: *Ego faciam quod juſſiſti*: Et ille: *Jura ergo*, inquit, „ *mihi*, Qui jurante adoravit Iſrael Deum. In cujus capitis expoſitione Divus Gregorius ait: " Manum, *inquit*, ſub femore ſuo juſſit ponere, quia per membrum illud deſcenſura „ fuerat caro ejus, qui filius Abrahæ eſſet ex humanitate, & „ Dominus ejus ex Divinitate; quaſi dicat, Tange filium „ meum, & jura per Deum meum. „ Quo ritu tantum A- „ brahamum, & Jacobum juraſſe, ceteros vero manu tantum elevata juraſſe, docet Spondanus *in annal. ſacr. anno mundi 2178. n. 2.* Gentiles etiam potiſſimum juraſſe tangendo rem aliquam ſacram, conſtat, ut tangendo Aram. Plautus *actu 5. ſcena 3.* ibi:

G. Tange Aram hanc Veneris. Tango,
G. Tene Aram hanc. Teneo.
G. Dejurato mihi argentum daturum.

Cicero pro Flacco? *Eiſi Aram tenens jurarat, crederet nemo.* Et pro Cornelio Baldo, ibi: *Morem Græcorum fuiſſe jurandi cauſa ad Aras accedere.* Quo reſpiciunt Juvenalis *ſatyr. 13.*

Atque intrepidi quæcumque altaria tangunt.

Et *ſatyra 14.*

—— Vendet perjuria ſumma,
Exigua Cereris tangens Aramque, pedemque.

Virgilius *l. 12. Æneid.*

Tango Aras, multoſque ignes, & numina teſtor.

Quomodo juraſſe Annibalem referunt Polybius *l. 3.* Arreptum dextra cum ad Aram adduxiſſe, & tactis ſacris juſſiſſe jurare, nunquam Romanis benevolum fore. Livius *l. 21.* Valer. Maximus *l. 9. c. 3.* plura Germonius *l. 1. ſacror. c. fin.* Modo ſuper ſacra. Dionyſius *l. 6. p. 219.* " Et ne in poſteram li- „ ceret plebi hanc legem abrogare, ſed ut in poſteram im- „ mobilis maneret, decretum fuit, ut omnes cives Romani „ jurarent, per ſacra utique, & ſuos quoque poſteros in per- „ petuum hac lege uſuros. „ Arabes etiam lapide inter ferienda fœdera uſos fuiſſe, habet Herodotus *l. 3.* Juxta alios lapis jactus inter jurandum pronuntiabatur, ea formula adhibita: *Si ſciens fallo qui me diſpicit, ſalva urbe, arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*, Feſtus Pompejus verbo *Lapidem*, Polybius *l. 3.* Plutarchus *in Sylla*, Plautus *in Aularia*, Alex. ab Alex. *l. 5. dierum genial. c. 10.* Ex quibus liquet non ſatis aperte Turnebum *l. 29. adverſ.* perſpexiſſe quid eſſet apud Romanos per Jovem lapidem jurare, cum dixit ſenſum eſſe, quod juramentum conciperet per lapidea Deorum ſimulacra, quos lapides Divos vocavit Lampridius *in vita Eliogabali*, meminitque M. Tullius *l. 9. ep. 16.* videndus Brodeus *l. 3. miſcel. c. 13.* Sed ut ex dictis patet, minus appoſite ita exponit eam jurandi formulam: nam quamvis juramenta apud pleroſque ad lapides ſacros fuiſſe concepta monſtret Læl. Gyraldus *ſyntag. 2.* tamen de Jovis lapide alia fuit Romana jurandi formula: meminit hujus formulæ D. Auguſtinus *in c. ecce dico 22. q. 5.* juxta ſenſum Eraſmi in adagio: *Jovem lapidem jurare*: notavit Covar. *in c. quamvis, p. 1. §. 1. n. 8.* Et in iplo juramento manus attollere jurantes ſolebant, tam apud Hebræos, & Gentiles, quam Chriſtianos, ut conſtat *ex c. 6. Exodi*, ibi: *Levavi manum, ut darem eam Abraham.* Et *Geneſi c. 14. Num. c. 14.* ex Lucano.

Elatiſque alte promiſere manibus.

Greg. Turon. *l.1. c.32.* ibi: *Elevatisque super altaribus manibus juravit*. Notavit Zerda *in adverf. c.118. n.1.*

9 Prosequitur interpretatio.

Juxta quem ritum tangendi rem corporalem, lapidem, vel similem a jurante, nihil vetat accipere jusjurandum corporaliter præstitum *l. 1. C. si adversus vendit.* Eoque modo Christianis jurare prohibetur a D. Clement. *l.5. const. c.11.* Basilio *in ep. ad Amphiloch. can.*81. & 91. & *in 94. can. Synod. 6.* scilicet cum Pagani Christianos ad jurandum cum superstitione adigerent, & tactis Deorum simulachris, Arisve jurare vellent: quod juramentum cum speciem contineat idololatriæ, merito Christianis prohibetur. Christiani etiam omni ævo diverso ritu jusjurandum corporaliter præstitere, *c.pen. 3.q.9. c. laudabile, de frigidis, l. rem non novam, in princ.* & §. 1. C. *de judic. l.2. in princ. Cod. hoc tit. leg. generaliter* 12. §. *in omnibus, C. de rebus creditis, leg. jubemus, l. de creationibus* 27. C. *de Episc. aud.* videlicet tacta sacrosancta Eucharistia. Victor Uticensis *l.3. Aeusabot. Cum ante titionem eius terribilem venerituus, quia super corpus eius, & sanguinem juravimus*. Illustrat Theophilus Raynaud. *de calumn. scil.*3. *c.2. q.3.* vel tactis altaribus, seu Sanctorum Aris. Optatus Milevit. *l.6. schism. Altaria Dei, in quibus, & jurejurandum populi, & vota, & membra Christi portata sunt*. Constat ex libro veterum formul. *c.* 29, & 33. apud Bignonium. Illustrat Novarinus *l.8. schediasm. c.8.*, vel tactis sacrosanctis oratoriis; *l. generaliter* 12. §. *ult. C. de jurejur.* idest locis, ubi reliquiæ Martyrum asseverabantur, ut accipitur oratorium, in quo B. Stephani pignora continebantur, apud Gregorium Turon. *l.2. hist. Franc. c.6.* Greg. Magnum *l.7. ep.* 33. in illis verbis: *Veniant ante corpus Sancti Appollinaris, & tactio ejus sepulchro jurent*. Eumdem Gregorium Turon. *l. 1. de gloria confess. c.* 93. *Statim manum ponens super sanctum sepulchrum, dixit: Huius sancti virtute opprimar, si aliquid falsi loquor*. Super cruce etiam, vel alia re sacra frequenter olim jurabatur. Vigilius Pontifex *in ep. encyclop.* edita a Sirmundo: " Et dum sæpedicti judices posito indiculo super altare, & cataracta a B. Petri Apostoli, & super crucem quæ de ligno passionis Domini habet inclusum, " Sed & super claves B. Petri Apostoli præstitum fuit corporale jusjurandum. Plura cumularunt Bignonius *ad Marculfum l. 1. de cruce, c.*83. Spondanus *de cemeter. l.1. p.1. c.*17. Ferrandus *disquisf. reliq. l.2. p.1. c.3. art.*3. Plerumque etiam tactis sacrosanctis Evangeliis, seu scripturis juratur, *c. quoties* 1. *q.* 7. *c. si quis* 2. *q.5. c. hortamur* 3. *q.9. c. testimonium* 11. *q.1. c. si aliqua* 22. *q.1. c. quoties*, §. *porro, de purg. can. c. venerabili, de sent. excom. c. ut circa, de electi. l. 6. clem.* 1. §. *de heretic.* Et ipsi jurantes aliquando Evangelia secum deferebant ad jurandum. Constant. Porphyr. *de adm. Imper. c.*27. Tres isti, quos numeravi Duces, discalceati, sumptis in manus Evangeliis, ad Berengarium currunt veniam petentes, juranteque nunquam eo vitio se illuc reversuros esse. Et junctis manibus Missali inclusis, Christianos jurasse, constat ex Joanne Gerbrando *l.23. chron. Belg. c.6.* de Vvillelmo Hollandiæ Comite, in militiæ ordinem adscribendo, ita scribit: " Dominus " Cardinalis conjunctas manus clausit in Missali super lectum " Evangelium. " Quod juramentum ita præstitum corporale dicitur, aut corporaliter præstitum, *in d. l. rem non novam, d. l. generaliter*, §. *ult. l.1.* §. *sed cum antiquitas, C. de curat. furios.* non a corpore jurantis, qui manum levat, caputve, seu oculos, ut volebat Cujacius *ad tit. C. si adversus vendit. & in novella* 51. sed a corpore ipso, quod jurans tangit, Evangelium videlicet, crucem, aut similem rem sacram, ut exponunt Merillus *l.2. observ. c.*40. Forner. *l. 3. select. c.* 28. Hansenius *de jurejur. c.* 2. & 29. Vvikerius *l. de electi. Regis Rom. pag.*85. Pichardus *in* §. *si quis postulante, Instit. de act.* Olanus *l.2. Paralip. c.5. n.*35. Non tamen ritus hi obligationi juramenti aliquid adjiciunt; nam inter corporale, & verbale juramentum nullum quoad obligandi religionem, aut vinculum discrimen est, *c. si aliqua* 22. *q.1. c. rursus 6. qui clerici, vel vov.* Licet gravior pœna perjuro imponatur pejeranti super cruce consecrata, ac pejeranti super non consecrata, ut ex Pio Pontifice refert Gratianus " in capit. qui pejerat, 22. quest. 5. Qui pejerat se in manu Episcopi, aut in cruce " consecrata, tres annos pœniteat: si vero in cruce non consecrata, unum annum pœniteat. " Qui canon etiam reperitur apud Burchardum *l.12. Decreti, c.5.* Carnot. *p.* 12. *Decreti, c.*62. & in Pœnitentiali Gregorii III. in hæc verba: " Si " quis in manu Episcopi, vel Presbyteri, vel in cruce consecrata pejerat, secundum antiquam consuetudinem tres annos pœniteat. " Beda *de remed. peccat. c.3. & c.9.* illudque illustrant P. Grethserus *de cruce l.2. c.17.* Æneas Robertus *l. 1. rer. judic. c.* 11.

10 Manu juratur.

Deinde sciendum est, manu, non alia corporis parte rem, supra quam juratur, tangendam esse, quia manus fidei symbolum apud veteres erat; ideoque eam attollere jurantes solebant. *Exodi c.6. Levavit manum, ut daret eam Abraham*. Et *Num. c.*14. Sic illa in Frisionum Legibus; *Manum redimere, manu jurare: l.2. Sond. tit.*35. §. *ult.* & quarta, quinta, vel septima manu jurare, *in c. laudabilem, de frigid. c.* 1. & *per tot. de purg. canonic.* ubi Deo volente plura dabimus. Quare non abs re veteres perjuris manum amputare faciebant, *cap.* 52. *legis Salicæ, l.3. Capitul. c.* 1. Procopius *l.* 1. *de bello Gothos.* licet olim etiam linguæ evulsione perjurium vindicatum fuisse referat. Harmenopulus *l.* 1. *promptuar. tit.* 7. Et contactus ipse manu dextera, non sinistra fiebat, quia dextera fidei, & concordiæ symbolum est. Livius *l.* 1. *decade* 1. ibi; " Manuque ad digitos usque involuta, rem divinam " facere significantes: fidem tutandam esse, sedemque ei etiam in dextris sacratam esse. " Cornel. Tacitus; *Dexteræ* " *concordiæ insignia*. Seneca in Hercule. *Sociemus animos, pignus hoc fidei cape, contingе dexteram*. Plura congesserunt ad rem satis jucunda Camillus Borellus *de Magistrat. c.* 14. Lindembrogius *in glossar. verbo Manus*, Fornerius *l.3. select. c.*28. Hanfenius *de jurejur. c.2.* & 28. Vuikerus *de electi. Regis, pag.*85. Pichardus *in* §. *item si quis, n.* 29. *Instit. de actionib.* Zerda *in Justith, p.1. c.1. vers.1. pag.*61. Inde fidem fallentibus dextera amputabatur. Ægidius Æreval. in legibus Henrici *l. 1. c.*8. *de treg.* ibi. " Si hoc fecerit homo liber, hereditatem per- " dat, servus autem amittat omne quod habet, & dexteram " perdat: In legibus Longobardorum *tit.*9. *c.*38. probant Cironius *l.2. obs. c.*20. & nos *in c.1. de sponsa duor.*

11 Absolvitur interpretatio.

Sed licet hæc observata sint a Christianis laicis, tamen Episcopi, Presbyterique diverso modo jurare debent: vice enim juramenti, per sacram Congregationem interrogantur, *c. si quis presbyter* 2. *q.5.* & pectori manus admovent. Etiam in testimoniis dicendis hæc necessitas tangendi Evangelia illis remissa est, *l. neque 6. C. de Episc. & cler.* & propositis tantum non tactis sacrosanctis Evangeliis interrogantur, *novel.* 123. *Justin. c.7.* ex eo quo textu deprompsit Gregorius suam constitutionem: textus *in c. fin. hoc tit.* & generaliter clericis super sacrosancta Evangelia jurare prohibetur *in c. si quis presbyter* 13. 2. *q.5.* notarunt Cironius *l.2. observ. cap.* 10. Mancinus *genial. c.*210. & *de triplici iuris collat. l.1. c.*36. Balboa *in c.1. de jurejur. n.*11. nisi in casibus in jure expressis, ut *in c. ego, de jurejur. c. quotiens*, §. *porro, de purg. canon. c. quotiens* 9.2. *q.7.* quod procedit in causis levioribus, in gravissimis autem causis, ubi pro forma actus desideratur contactus Crucis, aut Evangelii, etiam Episcopi, vel Presbyteri illis tactis jurare debent, *c. quotiens* 1. *q.4. c. quotiens*, §. *penult. de purgat. canon. c. dilectus, juncta integra, de tempor. ordinat. de purgat. canon. c.* 1. & 8. 11. & 19. 2. *q.5.* Unde D. Basilius *ep. ad Amphyl. c.*10. ait: " Severum Episcopum jurasse non canonice propter Evangelia, idest, non tactis sacrosanctis Evangeliis. " Et apud Sozomenum *l.5. hist. c.*3. refertur Evagrium Archidiaconum CP. juramentum præstitisse manu admota ad Evangelia. Hodie tamen jure nostro regio etiam laicis prohibitum esse juramentum præstare in causis forensibus in Ecclesia super altari, vel tactis sacrosanctis Evangeliis, *ex l.67. Tauri, l.3. tit.8. l.4. recopil.* docuerunt Balboa *in d. c.5. de judiciis, n.* 8. Paz *in l.* 239. *stylі*. Sed si verum amamus, in dictis legibus non prohibetur juramentum super Crucem, aut Evangelia præstare, sed tantum juramentum compurgatorium, de quo latius agemus *in tit. de purg. vulg.*

12 De causis ubi perstatur hoc juramento.

Sed ut jam ad institutum redeamus, sciendum est, circa causas in quibus juramentum hoc præstatur, non leves dari difficultates. Prima circa causam criminalem in qua etiam juramentum hoc præstari, probari videtur *ex c. 1. hoc tit.* in illis verbis: *Sive criminali, sive civili*. Et *l.1.* & 2. *C. de jurejur. propter calumn.* ubi asseritur, in omnibus causis juramentum calumniæ esse præstandum, ac per consequens etiam in criminali. Suadetur etiam *ex l. fin. C. de fide instrum.* & *novel.* 124. & *constit. Friderici de pace tenenda, & de incendiariis*. Item innuitur a Tito Livio *in l.*44. in illis verbis: *Si velut accusatores calumniam in eum jurarent, nemoque deferrent*. Ex Cæcilio ad Ciceronem de Divinatione: " Appius cum calumniam jurasset, contendere ausus non est. *Asconio in Cornel.* " Metellus bis juravit, Curionem accusaturum, semel adactus " a patre, iterum lege, tum calumnia juravit. " Quæ loca libenter accepta ferimus Sigonio *l.2. de judic. c.*10. Quam sententiam tenuerunt ex antiquis glossatoribus Joan. Bulgarus, Azo, Hugo, quos sequuntur Speculator *in tit. de juram. calum.* §. 2. *n.* 1. & 11. Joan. Faber *in d. l.* 1. *C. de jurejur.* Anton. de Retes *in tr. de juram. calum. c.* 13. *cum sequentib.* Glossa *in d. c.1. verbo In criminali*. Contrarium vero sententiam, videlicet in causis criminalibus non jurari de calumnia, tenuerunt Martinus, & Cinus *in d. l. 2. Cod. de jurejur.* Baldus *in dist. l.1. n.8.* ubi Castrensis, Sicardus *n.6.* Cujacius *in novella* 124. & *in c.1. hoc tit.* Vvesembech. *ad hunc tit. C. n.*8. Cironius *in præsenti*, Anton. Matthæus *ad tit. de accusat. c.*8. Anton. Gomez *l.3. var. c.12. n.5.* Bronchorst. *miscel. cent. 2. assert.* 60. Jul. Clarus §. *fin. q.*18. *n.* 3. Farinac. *in praxi, q.*16. *n.*28. Qui nituntur auctoritate, & ratione. Auctoritate textus *in novella* 97. & 107. *Leonis*, ratione, quia in criminalibus causis sufficit inscriptio, ideoque necessarium non est hoc juramentum: nam quantum ad accusatorem attinet, cum is subscriptione sua in pœnam talionis se obliget, juramentum supervacue ab eo exigitur. Quoad reum etiam periculosa valde delatio hujus juramenti futura est, cum ille licet nocentissimus, tamen ut vitam redimat, certo pejeraturus sit, ei autem qui de perjurio suspectus est, non est jusjurandum deferendum. Qua opinione retenta facile prædicti Interpretes satisfaciunt fundamentis contrariæ sententiæ asserendo, Pontificem *in d. c.* 1. *hoc tit.* non tantum agere de juramento calumniæ, verum de quolibet jurejurando non præstando a clericis, & Ecclesiasticis personis. Et similiter *in dist. l.fin. C. de fide instrum.* non affirmari jusjurandum esse de calumnia ratione causæ criminalis, sed civilis, quæ respicit instrumenti exhibitionem. Etiam verba illa generalia in omnibus causis, quæ reperiuntur *in dist. l.1.* & 2. *C. hoc tit.* accipienda sunt de causis civilibus, non criminalibus: & *in dist. novella* 124. non agitur de juramento calumniæ, sed de puniendo judice, qui aliquid accepisse a reo convictus fuit: vel de puniendo ipso reo, qui fallo judicem sordidum insimulavit in civili, vel criminali in causa. Fridericus etiam Impe-

Imperator in dicta constitutione non est generaliter accipiendus, sed in casibus aliquibus, veluti de pace tenenda, & de incendiariis, ut constat *ex l.5. feudor.* & juramentum Vultejus *ubi supra, n.* 81. In hoc Interpretum diffidio aliqui mediam viam elegerunt, discrimen constituendo inter causas criminales civiliter intentatas, & criminaliter propositas: in primis juramento calumniæ locum esse affirmant, in secundis vero negant. Vultejus *l.3. de judic. nu.* 87. aliter discrimen constituit inter causas criminales, quæ ex officio proponuntur: & inter eas, quæ aperte intenduntur. In primis fiscalem jurare non debere de calumnia, docet; in secundis vero omnes accusatores jurare debere affirmat. In hac opinionum varietate primam sententiam veriorem existimo, quam etiam defendunt plures congesti a Barbosa *in c.1. hoc tit. in* 6. Fermosino *in c.1. hoc tit. q.2. n.*12.

13 De aliis causis.

Circa causas spirituales aperta antinomia repetitur inter Eugenium III. relatum *in c.2. hoc tit.* & Bonifacium VIII. *in c.* 1. §. *ult. eod. tit. in* 6. Eugenius affirmat, in causis spiritualibus juramentum de calumnia non admitti, cum non ex legum districtione, sed ex canonum æquitate terminentur, Eugenio consentiunt Innocentius III. *l.2. regist.* 14. *ep.* 21. ubi notavit Bosquetus: Honorius III. *in c. ex litteris, de jurejurand.* juxta interpretationem Abbatis, *ibi*, Parladorii *l.2. rer. quotid. c.*18. Bonifacius *in d. c.1.* expresse statuit, in causis spiritualibus juramentum de calumnia locum habere. Pro quo diffidio sedando communiter inter Doctores placuit, Eugenium *in d. c.* 2. esse accipiendum de causis spiritualibus, in quibus de re familiari agitur; Bonifacium vero esse intelligendum de causis spiritualibus, in quibus ad utilitatem Ecclesiæ actio intenditur. Sed omissa hac divinatoria sententia, verius reor, in dicta Bonifacii constitutione contineri expressam correctionem juris antiqui, ut ex ejus verbis facile colligitur: & licet olim juramentum de veritate dicenda in causis spiritualibus præstaretur, de quo accipiendi sunt textus *in c. cum dilectus* 32. *cap. dudum* 54. *de electi. c. litteras, de restit. spol. c. constitutis, c. prælatorum, de testibus, c. constitutus, de fideiuss.* tamen post Bonifacii constitutionem de malitia etiam in causis spiritualibus juratur. Etiam quoad appellationis causam olim inter juris Interpretes diffidium fuit; nam Placentinus, & Azo existimarunt in causa appellationis de calumnia jurandum non esse, quia eadem causa est, ac propofica fuit in prima instantia, juxta legem unicam, *C. ne in una, eademque causa, l. penult. C. de tempor. appell.* & in una, eademque causa juramentum calumniæ semel tantum præstatur, *novella* 99. ubi Glossa *verbo nequaquam, authent. sacram, C. de jurejur. propter calum.* Contrarium censuit Martinus, cujus sententiam probavit Bonifacius *in c.2. hoc tit. in* 6. & illa firmari valet *ex l. properandum* §. *in omnibus, C. de judiciis*: licet enim una, eademque causa sit, tamen negari non potest, diversas instantias esse, unde in praxi obtinuit, ut tam in prima, quam in secunda appellationis instantia de calumnia juretur, ut docent Vultejus *de judic. c.2. n.*80. Caillus *l.* 1. *obs. c.*85. Ant. Matthæus *in collect. disp.9. de judic.*

14 Quid hoc juramento promittitur.

Superest ut quid hoc juramento comprehendatur, exponamus. Et actor promittit non calumniandi animo litem fovere, sed quia existimat opinione persuasum se bonam causam agere, *l.2.* §. *alter, C. hoc tit. novella* 49. *c.2.* §. *item alteris, Instit. de pœna temere litig.* reus vero jurat bona fide se exceptiones, aut contradictiones apponere, *d. l. 2.* §. *reus*. Alia etiam actor, & reus promittunt, videlicet eos nullam probationem exacturos, nisi eam quam pro causa instruenda necessariam duxerint, *authent. in ipso, C. hoc tit.* Item nullo modo per se, vel per alios judici, aut aliis personis manera oblaturos, promissurosque quocumque modo, *novella* 124. *c.* 1. *authent. principalis, C. hoc tit.* Item litis protelandæ causa nullas dilationes petituros, tandemque, & principaliter, interrogatos in judicio nunquam celaturos: quæ omnia expressit Justus Vultejus pater Hermanni Vulteii, hoc epigrammate:

Juro meam litem mihi fultam jure videri,
Nec celaturum si qua rogatus ero:
Nec promissurum, nec causæ falsa levanda
Dicere, nec litem ducere velle meam.

Et non minus eleganter Hermannus Vultejus ejus filius his versibus complectitur:

Juro meam litem mihi fultam jure videri,
Nec celaturum studio me vera rogatum:
Nec promissurum, nec causæ falsa probanda
Sumpturum, neque fauturum mora fiat ut illi.

TITULUS VIII.

De Dilationibus.

CAPUT PRIMUM.

Alex. III. *a Cantuar. & Vvigor. Episcopis.*

Dilecti filii Abbas, & monachi de *b* H. nobis insinuare curarunt, quod cum causam, quæ vertitur inter ipsos, & moniales de Leden, super Ecclesia de Alten. Decano, & Archidiacono Lincon, commiserimus terminandam, ipsi timentes se a judicibus *c* aggravari (eo quod ad primam citationem terminum sibi nimis brevem, & *d* peremptorium statuerunt) ad nostram audientiam duxerunt *e* appellandum. Nos igitur attendentes, quia (vero) non spectat ad juris ordinem, diem peremptorium, maxime cum de rebus Ecclesiasticis agitur (nisi forte necessitate urgente) taliter mutare, mandamus quatenus si est ita, revocato in irritum si quod inveneritis post appellationem hujusmodi attentatum, in causa juxta priorem tenorem litterarum procedatis.

NOTÆ.

1 *a Cantuar.*) Ita legitur in prima collectione, *sub tit. de dolo & contumacia, c.* 3. post Concil. autem Lateran. *p.3. c.5.* habetur, *Abbati Rivallis, & Prioris de Bridi*: sed retinenda est præfens inscriptio. De Cantuariensi Ecclesia egi *in c.2. de rescriptis*; de Vvigor. *in c. nosti, de electi.*

2 *b H.*) Idest de Huerholme, quod monasterium est Canonicorum regularium, Gilbertini vocabantur, a Gilberto primo eorum fundatore, qui varia monasteria monachorum, & monialium in Anglia construxit, de quibus agit Pennotus *in hist. canonice regul. l. 2. c. 70. n. 2.* de quibus monialibus Gilbertinis etiam agitur in præsenti.

3 *c Aggravari.*) Quando appellari possit a futuro gravamine, exponemus *in c. debitum, de appell.*

d Peremptorium.) Idest unum pro tribus terminis, qui in jus vocato assignari solent.

e Appellandum.) *In d. c.5. Concilii*, sequitur: " Sed ipsi " nihilominus Ecclesiam interdicto supposuerunt: quia vero " non spectat ad juris ordinem diem peremptorium, maxime cum de rebus ecclesiasticis agitur, nisi ingruente necessitate ita mutare, nec inter eos, qui contumaciter se " absentant, sententiam taliter promulgare, nisi quoad adversa pars in possessionem mittatur, ut sic tædio affecti, justitiæ stare cogantur. " Quæ verba exposuimus, dum de primo, & secundo decreto egimus *in c. quoniam, ut lite non contest.*

CAPUT II.

a Cælestinus III.

PRæterea in tuo petitorio adjecisti, quod cum causæ tibi a Sede Apost. delegantur, in litteris citatoriis *b* referi- ptum Apostolicum inseris, ut eo viso deliberare valeat, qui ab altero convenitur. Cumque non ad primam, & secundam citationem canonicam, sed ad tertiam tantummodo peremptoriam veniat, actore ad omnes citationes veniente, & ipse intentionem suam in jure proponat reus vexationis ejus intendens, tunc primo deliberatorias requirit inducias, cum actor eidem authenticum offerant, ut conferat cum rescripto, quod in prima citatione recepit, asserens quod tam longo citationis spatio, si voluerit, plenæ tempus deliberationis potuit habere. Quia igitur quid agendum sit tibi in hoc casu desideras edoceri, taliter respondemus, quod prædicto modo reo ad judicium vocato, si ex rescripto sibi transmisso plene potuit instrui super eo, de quo conveniebatur, induciæ deliberatoriæ sibi non sunt ulterius indulgendæ, sed potius procedendum est ad examinationem causæ, & finem ei debitum imponendum.

NOTÆ.

a *Cælestinus*.) Ita etiam habetur in secunda collectione, *sub hoc tit. c.* 1. cui tamen Prælato missa fit hæc decisio, ex neutra collectione constat; illud tamen certum est, in præsenti referri secundam epistolæ partem, primam referri *in c. plerumque, de donat. inter*.

b *Rescriptum Apostolicum*.) Hæc verba exposui *in c. cum in iure, de offic. deleg.*

CAPUT III.

Honor. III. *Episcopo* a *Ferentinati*.

Litteræ tuæ, ac petitio dilecti filii *b* Archipresbyteri *c* Sanctorum Priscæ, & Aquilæ denuo nobis exhibitæ continebant, quod cum causam, quæ inter Archipresbyterum ex una parte, & nobiles viros Andream *d* Alatrin. & G. ac fratres, & filios eorum ex altera, super quibusdam possessionibus, & rebus aliis vertitur, tibi duximus committendam, idem Archipresbyter libellum Ecclesiæ suæ nomine obtulit, continentem, quod pensio pro dictis possessionibus soluta non fuerat ipsi Ecclesiæ, elapsis jam *e* tribus annis, & *f* ultra: Nobilibus vero ipsis petitionibus petentibus, ut explicaret ipsis spatium, quod per hanc adjectionem (& ultra) significari volebat, & ipso Archipresbytero exprimente, quod septem annis fuerat in dictæ pensionis solutione cessatum, iidem Nobiles dicentes litem bellum Ecclesiæ hujusmodi expressione mutatum, longiores ad deliberandum inducias petierunt; quas quia denegasti eisdem, nostram audientiam appellarunt. Nos ergo appellationem hujusmodi frivolam reputantes, f. t. mandamus, quatenus ea nequaquam obstante, in negotio ipso prævia ratione procedas, juxta priorum continentiam litterarum.

NOTÆ.

a *Ferentinati*.) Seu Ferentino, ut legitur in quinta collectione Honorii III. *sub hoc tit. c.*1. Ferentinum perantiqua civitas est in veteri Latio, quæ spectat ad Hernicos, in supino colle substructa prope Latinam viam: ejus meminerunt Livius *l.*15. Halicarnasseus *l.*4. & alii congesti ab Ughellio *t.*1. *Italiæ sacræ*; *in Ecclesia Ferent.* Decoratur Cathedra Episcopali jam a Sæculo quinto Ecclesiæ. Ejus Præsuli Alberto Longo dicto præsens epistola missa est.

b *Archipresbyteri*.) In sexta collectione legitur *Presbyteri*: & statim, *idem Presbyter*; sed retinenda est præsens littera supponendo temporibus Honorii III. Cardinalem Presbyterum tituli SS. Priscæ, & Aquilæ fuisse Decanum Cardinalium Presbyterorum, qui recte dicitur Archipresbyter, *c.* 2. *de offic. Archipresbyt.*

c *Sanctorum Priscæ*.) Hæc Basilica est Romæ in monte Aventino, ubi servantur corpora sancti Aquilæ, & sancti Priscæ uxoris suæ: est in ea titulus Cardinalitius, qui cum aliis quinque subest Basilicæ Patriarchali S. Pauli, ut refert Cohel. *in not. Card. c.* 3.

d *Alatrin.*) Alatrinum est, seu Aletrum, Latii antiqua civitas versus Orientem sita: ejus meminerunt Livius relatus a Cironio in præsenti, Frontinus, & Plinius congesti ab Ughellio *t.* 1. *Italiæ sacr. pag.* 320. *in histor. Alatrinf. Præsulum*.

e *Tribus annis*.) An pensione non soluta per triennium statim debitor cadat in commissum, dicemus Deo volente, *in c. potest, de locat. & cond.*

f *Ultra*.) Quæ dictio licet modicum, tamen incertum tempus importat, ut probat Barbosa *in dict. verbo ultra*.

CAPUT IV.

Gregorius IX. *Abbati* a *Aquavivæ*, *Turon. diœc. & Archid. Turon.*

Exposuit nobis *b* Bituricensis Archiepiscopus. *Et infra*; Burdegalensi Archiepiscopo dedimus in mandatis ut super jure primatiæ, quam in eo, & in provincia sua dictus Bituricens. Archiepiscopus se habere proponit, ad initium proximo præteritæ Quadragesimæ (quod ei terminum peremptorium assignavimus) per se, aut per procuratorem idoneum se conspectui nostro præsentaret. Cumque postmodum personaliter vocatus pro Ecclesiæ Romanæ subsidio ad nostram audientiam accessisset, dictus Bituricen. Archiepiscopus apud Sedem Apostolicam constitutus postulavit instanter, ut in eodem negotio procedere deberemus. Idem vero Burdegalensis Archiepiscopus ad propria rediens constituit pro se procuratorem in ipso negotio, qui salvis exceptionibus sibi competentibus, in respondendo, & defendendo, ac aliis omnia faceret, quæ in propria erat persona facturus. Petente ergo Archiepiscopo supradicto, ut præfatus procurator responderet eidem, ille excipiendo proposuit se ad hoc non teneri, cum pro alia majori causa, pro publica scilicet utilitate, dictus Burdegalensis vocatus, pro absente reputari deberat, & revocandi *c* domum privilegium habuisset. Nondum etiam super hoc deliberaverat cum suffraganeis suis, & aliis quorum consilium tam ardua causa requirit: nec tempus habuerat, in quo ad utrumque negotium valuerit (sicut expediret) esse paratus. Sed pars altera contra respondit, quod cum super quæstione prædicta prius fuerit evocatus, nostræ intentionis non fuerat primum mandatum per posterius revocare: temporis quoque spatium habuerat tam prolixum, ut potuisset, si voluisset, super eam deliberare prædicta, sicut fecerat cum quibusdam, & commode utrique negotio imminere. *Et infra*: Nos igitur de consilio fratrum nostrorum usque ad proximum venturum festum Nativitatis Dominicæ dilationem adhuc sibi duximus indulgendam.

NOTÆ.

a *Aquavivæ*.) Monasterium hoc S. Mariæ de Aquaviva dictum est Canonicorum regularium Ordinis D. Augustini, ut refert Pennotus *in hist. ipsorum*, *l.* 2. *c.* 33. *nu.* 20. *in fin.*

b *Bituricensis*.) Historiam hujus textus ab origine retuli *in c. fin. de majorit. & obed.*

c *Revocandi domum*.) Juxta adducta *in c. fin. de foro comp.*

COMMENTARIUM.

1 Conclusio traditur, & probatur.

Ex his quatuor decisionibus sequens deducitur disputanda assertio, *Si judex concedat dilationes nimis breves, aut longas, recte a tali sententia appellatur*. Probant textus *in c. delectus, de procurat. c. fin. de dolo & contumacia, c. tam ex litteris 5. de integrum restit. c.*1. *ut lite non contest. c. quoad consultationem* 15. *de re judic. c. consuluit* 24. *de offic. deleg. c. dudum* 54. *de elect. c. quoad consultationem, de re judic. c. pet. hoc tit. in* 5. *collect. l.*5. *C. de R. J.* illustrant nitra congestos a Barbola, Melchiore Kling, Fermosino & Garanna *hic*, Vighellius *in method. juris can. pag.* 155. Corvinus *l.* 3. *aphorism. juris Pont. tit.* 19. Didacus Perez *in l.*1. *tit.*6. *l.*4. *Ordin.* Donellus *l.*23. *comment. c.*6. Pet. Greg. *l.*48. *syntag. c.*8. Vultejus *l.*2. *de judiciis, c.*7. *n.*286. Salgado *de protect. regia*, 2. *p. c.* 9. *n.* 258. Aut. Matthæus *ad tit. de accusat. c.* 11.

2 Impugnatur hæc assertio.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis redditur sequenti consideratione; nam in arbitrio judicis est pro rei, seu causæ qualitate, personarumque conditione, locique distantia augere, seu minuere, *c. si Episcopus* 3. *q.*2. *c. si agrotant* 5. *q.*3. *c. consuluit* 35. *de offic. del. c. quoad consultationem, de re judic. c. oblato, §. licet, de appell. l. in oratione, ff. de feriis, l.*1. *C. hoc tit.* unde in usu judiciorum dilationes arbitrariæ dicuntur, Vultejus, & Ant. Matthæus *ubi proxime*. Igitur a sententia, qua longa, aut brevis dilatio conceditur, appellari non potest. Augetur hæc difficultas ex eo, nam etsi reo indulgetur facultas appellandi a denegatione dilationum, actori tamen concedi non debet, cum ipse potuerit, cum actionem proposuit, eam omnibus adminiculis in explorato habere: reus autem, quia invitus, & præter spem ad judicium vocatur, jus habet, ut dilationes illi concedantur, *l. penult. C. de temp. in integr. restit. l.*5. *§. ult. ff. de doli except.* Igitur non recte æqualiter conceditur actori, ac reo facultas appellandi a taxatione, seu denegatione dilationis. Fulcitur secundo hæc difficultas *ex l. fin. ff. de feriis*, ubi docetur, amplius quam semel dilationem a judice non esse concedendam. Igitur si una concessa secunda denegetur, non licet ideo a tali sententia appellare.

3 Dilatio quid sit.

Qua difficultate ita fulcita, vallataque, non obstante, vera est præsens decisio, ad cujus expositionem sciendum est, dilationem, seu diei prolationem, nihil aliud esse, quam justum temporis intervallum, quod ad actum peragendum in judicio actori, vel reo conceditur, ut docent Valensis, Honorius, & Legausre *ad hunc titulum*, Cujacius & Vvesembechius *ad eumdem tit.* C. Datur dilatio omnis, vel a lege, vel a judice, *l.*4. *C. hoc tit.* Princeps autem dilationem raro concedit, quia qui coram ipso litigare vult, sufficienter instructus debet comparere, *l.* 5. *C. hoc tit. l.*1. *C. de relat.* Datur dilatio a lege quoties absque ministerio hominis lex, seu statutum assignat terminum, ut *in l.*1. *& 4. ff. de re judic.* A judice vero datur, cum ipse pro tribunali sedendo terminum ad

ad actum judicialem præscribit, *c. ult. §. a judice* 3. *qu.* 3. *c. cum sit Romana, in fine, de appellat.* Causæ ob quas dilationes dantur, variæ sunt, veluti si alter ex litigatoribus morbo sontico laborare, aut Reipublicæ causa abesse cœperit, *l. quæsitum* 60. *ff. de judic.* si alterius familia funesta sit morte patris, vel domini, *l. interdum* 36. *ff. de judic.* si alter ex litigatoribus testes, instrumenta, vel advocatum abesse queratur, *leg. interdum* 36. *leg. argentarium* 45. *ff. de judic. l.*1. *& 2. C. hoc tit. l. ait Prætor* 23. *§. ult. ff. ex quibus causis major.* plerumque conceduntur ad testes producendos, *c. licet de probat.* ad exceptiones opponendas, *c.*1. *& sequenti*, 3. *q.* 3. ad instrumenta edenda, *novell.* 115. *§. sed hoc*: ad solutionem faciendam, *l.*2. *& 3. C. de judic.* ad se purgandum, *c. tam ex litteris, de testibus*, ad agendum, vel accusandum, *c. licet, de accusat. c. final, de clandest. desponf.* ad restitutionem petendam, *c. frequenti, de restit. spol.* ad litem contestandam, *c.*2. *hoc tit.* & similes actus in judicio peragendos: tempora vero dilationum, quoniam a jure, nisi in paucis casibus definita non sunt, idcirco recte arbitraria dicemus, idest arbitrio judicis definienda; in aliquibus tamen causis tempus definitum est, veluti ad probandam intentionem, si ex eadem provincia producendi sunt testes, indulgentur tres menses; si ex continenti, sex; ex trans mare novem, *l.* 1. *C. hoc tit.* si reus ad judicium vocatur, singulis citationibus decem dies assignantur, *l. ad peremptorium, ff. de judic. l. properandum, §.* 2. *C. eodem, leg. ult. C. Theod. eodem tit.* quod tempus Justinianus *in novell.*112. ex qua desumpta est authentica *qui semel*, *C. quomodo & quando*, protraxit ita, ut per singula edicta, sive citationes tempus triginta dierum intermitteretur; si autem actio inter Fiscum, & privatum moveatur, quatuor menses ad respondendum reo indulgentur, *l.*3. *C. Theod. hoc tit.* ubi Gothofredus. In causis autem criminalibus tantum triduo dilatio conceditur, *leg. inter* 10. *ff. de public. judic. c. si autem* 15. *q.* 7. Hodie in dilationum spatio utimur stilo cujusque Curiæ, & judex potest pro negotii, seu personæ qualitate augere, vel minuere illud, *c. consuluit, de offic. deleg.* illi tamen decem dies, qui assignantur in via executiva, ut reus executionem impediat, a judice prorogari non possunt, ut probat Fermosinus *in c.*1. *hoc tit. c.*4. Alia plura adducunt, tam ex veteri quam novo fori usu, Polletus *histor. fori c.*15. Duarenus *ad tit. de feriis*, & alii ab Osualdo relati *l.* 24. *Donelli*, *c. 6. hoc tit. A.*

4 Traditur ratio conclusionis.

Quibus ita animadversis ratio prædictæ conclusionis facile deprehenditur; cum enim judex pensatis causæ, personarum, & loci circumstantiis non debeat dilationes concedere nimis longas, ut finis litibus imponatur; aut non ita breves, ut indefensi litigatores reperiantur; ideo si neglectis his rationibus judex nimis breves, aut nimis longas concesserit dilationes, juste ab hujusmodi sententia, licet interlocutoria, appellatur, cum contineat damnum, seu gravamen irreparabile, ut docet alias rationes adducens, Fermosinus *in c.*1. *hoc tit. q.* 1. Nec obstat dubitandi ratio supra adducta; nam verum est, dilationes dici arbitrarias, non quia arbitrio judicis relictum sit eas concedere, vel non; sed quia pro varietate, & circumstantiis causarum, loci & personarum debet eas concedere, regulato arbitrio juxta juris regulas, & sanctiones; unde si nimis breves, aut longas præscripserit, appellatio interponi poterit. Nec obstat primum argumentum difficultatis; nam licet dilatio uni parti concessa, utrique communis sit, *l. perinde, C. de in integ. restit.* tamen reis longiores debent concedi dilationes quam actoribus, quia actores jam instructi comparere debent, rei vero inviti, & præter spem ad judicium trahuntur: docet Vultejus *de judic. l.* 2. *c.* 7. *n.* 277. Nec tandem adversatur textus *in d. leg. final. ff. de feriis*: cujus mens & vera interpretatio, omissis traditis a Duareno *in comment. ad tit. de feriis*, ea est, videlicet ut in civilibus judiciis in singulis causis, nonnisi una dilatio concedatur: exempli gratia si instrumenti producendi causa dilatio concessa est, iterum alia non detur, nisi causa cognita: in capitalibus vero judiciis reo tres, accusatori vero duæ, causa cognita assignentur, a qua definitione vulgus excipit crimen adulterii, *ex l. in crimine* 41. *ff. ad leg. Jul. de adult.* Verum si executiamus ante illud Pauli responsum, inveniemus concordare cum alio ipsius Pauli, relato *in d. leg. ultima, ff. de feriis*; nam cum in utroque Paulus dicat dilationem causa cognita dari, eo ipso satis innuit, nihil esse causæ, quare adulterium a reliquis criminibus separetur.

TITULUS IX.

De Feriis.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio apud a *Compendium*.

Omnes dies *b* Dominicos a *c* vespera in vesperam cum omni veneratione *d* decernimus observari, & ab omni illicito *e* opere abstinere, ut in eis *f* mercatum minime fiat, neque *g* placitum, neque aliquis ad *h* mortem, vel ad pœnam judicetur, neque *i* sacramenta (nisi pro pace, vel aliqua necessitate) præstentur.

NOTÆ.

1 a *Compendium*.) Ita etiam legitur apud Burchardum *l.*2. *Decreti, c.*81. Ivonem *l.*2. *tit.* 13. *c.* 2. & *in* 1. *collect. sub hoc tit. c. unic.* Compendium est villa in Gallia, ubi plerumque Ludovicus, & Carolus Pipinus Galliæ Reges secedere solebant, ut constat ex ipsorum Capitularibus, *l.*6. *c.*35. „ Compendium villam una cum Rege secessit. *Et l.*6. *c.*35. Intra Compendium, & Carisiacum, ceteraque his vicina patia usque ad Hiberni temporis initium conversatus est. *Probat Papirius Masonius* in descrip. Gall. per flumina, pag. 269. " Eo in loco plerumque Synodi celebratæ sunt, quarum tres refert Sirmundus inter Capitularia Caroli: verba autem hujus textus deducta sunt *ex can.* 2. *Concil. apud Compendium*, quod celebratum fuit sub Greg. IV. anno 833. ut refert Coriolanus *in summa, in notis ad ipsum*: reperiuntur etiam hæc verba *l.*5. *Capit. Caroli, c.*88. ibi: „ Omnes dies Dominicos cum omni veneratione observare decrevimus, & a servili opere abstinere, & mercatus in eis minime fit, nec placitum, ubi aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur. *Et l.*1. *c.*15. *illic*: Item in eodem Concilio præcipitur, ut a vespera usque ad vesperam dies Dominica servetur. *Et l.* 6. *c.*186. *ibi*: Diem Dominicum secundum reverentiam colite, opus servile, idest agrum, pratum, vineam, vel si qua graviora sunt, non conficiatis, neque causas, neque calumnias inter vos dicatis; sed tantum divinis cultibus serviatis, & a vespera ad vesperam dies Dominicus servetur. " Ex quibus locis compactus, compositusque fuit præsens textus ab antiquis Decretistis, a quibus transcripsit Raymundus.

b *Dies Dominicos*.) Quos Judæi primam Sabbati dicebant, Gentiles Solis diem vocabant, a quibus etiam Christiani acceperunt. Justinus Martyr *apolog.*2. *pro Christianis*, ibi: „ Solis autem die communes cœtus, & concursus facimus, quandoquidem primus hic est dies, quo Deus caligine depulsa orbem condidit, & Jesus Christus Servator noster eodem die a mortuis excitatus; nam eo die qui Saturni diem sequitur, qui quidem solis est dies, Apostolos suos, & discipulos, quibus conspicuum se præbuit, &c. *Hæc docuit Gregor. Turon.* l.3. hist. Franc. c.13. Ecce dies solis adest; sic enim barbaries diem Dominicum vocitare consueta est. " Qua profana appellatione hunc diem exprimunt Imperatores *in l. omnes dies*, *C. hoc tit. l.* 1. *&* 2. *C. Theod. eod. tit.* ubi notavit Gothofredus. Germonius *l.*2. *sacr. c.*18. *leg.* 1. *C. de spectacul.* quia eum diem non solum Christianis colendum præcipiebant, verum etiam Gentilibus sub Imperio Romano degentibus, ut tradit Eusebius in vita Constantini *l.*4. *c.* 18. Cujus nomenclaturæ origo facile deprehendetur, si observemus, nomina singulis diebus hebdomadæ a septem errantibus stellis, quas Græci planetas vocant, antiquitus inditas fuisse. Eusebius *homil.*11. *de Pascha*, ibi: „ Mortifera idololatriæ consuetudo in tantum homines obcæcaverat, ut Solis, Lunæ, Martis, atque Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni, & diversis elementorum, ac dæmonum appellationibus dies vocitarent, & luci tenebrarum nomen imponerent. *Beda* de rat. temp. c.4. *D. Isidorus* l.5. etym. c.3. Dies, *ait*, a Diis dicti, quorum nomina Romani quibusdam sideribus sacraverunt: primum enim diem a Sole appellaverunt, qui Princeps est omnium siderum, sicut & idem dies caput est cunctorum dierum. Secundum a Luna, quæ soli & splendore, & magnitudine proxima est. Tertium a stella Martis, quæ vesper vocatur. Quartum a stella Mercurii, quam quidam candidum circulum dicunt. Quintum a stella Jovis, quam Phaetontem ajunt. Sextum a Veneris stella, quam Luciferum asserunt, quæ inter omnia sidera plus lucis habet. Septimum a stella Saturni. " Illustrant, & alia adducunt Brissonius *in l. die dominico, pag.* 5. *C. de spectaculis*, Barthius *l.*18. *adversf. c.* 1. Garzonus *in theatro, tit. de Kalendariis, discurs.* 6. Carrier. *t.*2. *digest. fidei, tr. de festis, sect.*1. Meursius *in glossar. verbo Curiacus*, Germonius *l.*2. *de sacror. immun. c. penult.* In Ecclesia autem Catholica dies primus, Dominica appellatur. D. Joannes *in sua Apocalypsi, c.*1. ita fatur: *Ego Joannes fui in spiritu in Dominica die.* Quæ verba de nostra die Dominica accipiunt omnes Theologi positivi congesti a Bellarmino, *l.*3. *de cultu Sanctorum, c.*11. Suar. *de relig. t.*1. *l.*2. *de diebus festis, c.*24. *n.*1. & D. Clemens *l.*7. *const. c.*31. ait: „ Die resurrectionis Domini, quem Dominicum dicimus, convenite sine ulla conventus intermissione ad agendas gratias Deo ob beneficia, quibus nos Deus per Christum affecit. *Item D. Ignatius ep.*3. Pro Sabbati ratione diem Dominicum celebret omnis Christianus, „ regu-